ORDO PROFESSIONIS RELIGIOSÆ

ORDO PROFESSIONIS RELIGIOSÆ



RITUALE ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI
CONCILII VATICANI II INSTAURATUM
AUCTORITATE PAULI PP. VI PROMULGATUM

ORDO PROFESSIONIS RELIGIOSÆ

EDITIO TYPICA

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXX

SACRA CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

Prot. n. 200/70

DECRETUM

Professionis ritus, quo religiosi, consilia evangelica amplectentes, Deo se devovent, instauratus est ad mentem Constitutionis de sacra liturgia. Vita Deo sacrata religionis vinculis, magno in honore semper fuit apud Ecclesiam, quæ professionem religiosam usque a primis sæculis sacris ritibus exornavit. Concilii Vaticani II Patres in Constitutione de sacra liturgia præceperunt ut conficeretur ritus professionis religiosæ et renovationis votorum, qui ad maiorem unitatem, sobrietatem dignitatemque conferret et ab iis qui professionem vel votorum renovationem intra Missam peragerent, salvo iure particulari, assumeretur (art. 80).

Cui præcepto obsecutum, Consilium ad exsequendam Constitutionem de sacra liturgia hunc Ordinem professionis religiosæ apparavit, quem Summus Pontifex Paulus VI Auctoritate Sua Apostolica approbavit, Rituali Romano inseruit evulgarique iussit. Quapropter hæc Sacra Congregatio pro Cultu Divino, de speciali mandato eiusdem Summi Pontificis illum promulgat.

Conferentiæ Episcopales, si casus fert per Commissiones Mixtas plurium Nationum eiusdem linguæ, collatis consiliis cum Cœtibus Superiorum, qui in singulis Nationibus religiosorum incepta ordinant atque componunt, curent ut huius ritus interpretationes populares diligenter fiant.

Instituta religiosa autem, cum professionis ritus uniuscuiusque familiæ religiosæ naturam atque spiritum exprimere debeat, hunc Ordinem ita aptent ut indolem suam perspicue ostendat et ad hanc Sacram Congregationem confirmandum quam primum mittant.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Sacræ Congregationis pro Cultu Divino, die 2 februarii 1970, in festo Præsentationis Domini.

BENNO Card. GUT
Præfectus

A. BUGNINI
a Secretis

PRÆNOTANDA

I. De professionis religiosæ natura et vi

1. Sacris religionis vinculis, multi fideles, a Deo vocati, Domini servitio hominumque bono consecrantur et Christum Iesum pressius sequi nituntur, evangelica observantes consilia.[1] Quo fit ut Baptismi gratia uberiores in eis afferat fructus.[2]

2. Pia Mater Ecclesia magno in honore semper habuit vitam religiosam quæ, Spiritu Sancto duce, sæculorum decursu varias induit formas; [3] ad dignitatem status canonici eam erexit; complures familias religiosas probavit, quas prudentibus custodit legibus.[4]

Ipsa enim Ecclesia profitentium vota suscipit, prece sua publica eis auxilia et gratiam a Deo impetrat, eos Deo commendat eisque spiritualem benedictionem impertitur, oblationem eorum Sacrificio eucharistico adsocians.[5]

II. De ritibus qui vitæ religiosæ gradus comitantur

3. Gradus per quos religiosi Deo et Ecclesiæ se devovent, sunt: novitiatus, prima professio vel alia sacra ligamina, professio perpetua. Quibus, secundum Institutorum constitutiones, adnectitur renovatio votorum.

4. Novitiatus, a quo vita religiosa incipit,[6] experimenti tempus est tum novitio cum eius familiæ religiosæ. Initio novitiatus ritum peragere præstat, quo Dei gratia impetretur ut eius finis peculiaris

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 43; Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 1.
[2] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 43.
[3] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 43; Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 1.
[4] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 45; Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 1.
[5] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 45.
[6] Cf. S. Congr. pro Religiosis et Institutis saecularibus, Instructio *Renovationis causam*, 6 ianuarii 1969, n. 13.

attingatur. Hic ritus, sua ipsius natura, sobrius esse debet atque expeditus, sodalium cœtui reservatus. Fieri autem debet extra Missam.

5. Sequitur prima professio, qua novitius votis temporalibus coram Deo et Ecclesia se consilia evangelica secuturum promittit. Votorum temporalium emissio fieri potest intra Missam, nulla tamen peculiari sollemnitate. Primæ professionis ritus cum aliorum vitæ religiosæ insignium tum habitus traditionem providet, secundum antiquissimam consuetudinem habitus tradendi expleto probationis tempore: habitus enim signum est consecrationis.[7]

Sicubi promissio vel alius generis vincula professionis locum tenent,[8] ritus opportune fit in congrua actione liturgica veluti in liturgia verbi aut in hora divini Officii, Laudibus et Vesperis præsertim aut, si adiuncta expostulant, in ipso Sacrificio eucharistico.

6. Legitimo temporis spatio exacto, emittitur professio perpetua, qua religiosus Dei et Ecclesiæ servitio in perpetuum mancipatur. Professione autem perpetua repræsentatur Christus cum sponsa Ecclesia indissolubili vinculo coniunctus.[9]

Professionis perpetuæ ritus convenienti sollemnitate, sodalium religiosorum populique concursu intra Missam peropportune persolvitur.[10] Hæ sunt eius partes:

a) Professurorum appellatio aut postulatio, quæ tamen pro opportunitate omitti potest.

b) Homilia seu allocutio, qua populus et professuri de vitæ religiosæ bono admonentur.

c) Interrogationes, quibus Celebrans aut Superior ex professuris quærit num ad Deo se devovendos et perfectam sectandam caritatem, secundum regulam suæ familiæ religiosæ, sint parati.

d) Supplicatio litanica, qua oratio ad Deum Patrem dirigitur et sanctissimæ Virginis Mariæ omniumque Sanctorum intercessio exquiritur.

e) Professionis emissio, quæ fit coram Ecclesia, legitimo Instituti Superiore, testibus populoque.

f) Sollemnis benedictio seu consecratio professorum, qua Mater Ecclesia professionem religiosam consecratione liturgica confirmat,

[7] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 17.

[8] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 44; S. Congr. pro Religiosis et Institutis saecularibus, Instructio *Renovationis causam*, 6 ianuarii 1969, nn. 2, 7.

[9] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 44.

[10] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 80.

Patrem cælestem exorans ut Sancti Spiritus dona super professos abundanter effundat.

g) Professionis insignium traditio, si familiæ religiosæ consuetudo expostulat, quibus perpetua Deo dicatio exterius significatur.

7. Apud quasdam familias religiosas, statutis temporibus, secundum constitutiones vota renovantur.

Hæc renovatio intra Missam fieri potest, absque tamen sollemnitate, præsertim si vota sæpius vel quotannis renovantur.

Ad illam tantum renovationem votorum, cui iuris vis inest, ritus liturgicus pertinet. Tamen, apud nonnullas familias religiosas mos invaluit vota renovandi pietatis causa. Multis modis hoc peragi potest; verum haud commendanda est consuetudo intra Missam publice agendi quod privatæ devotionis est. Si autem opportunum videtur vota publice renovare peculiaribus diebus anniversariis, exempli gratia XXV vel L anno religionis, adhiberi potest ritus renovationis votorum, aptatis aptandis.

8. Hi ritus, cum ali alia sit indoles, suam quisque celebrationem requirunt ideoque rituum coacervatio in eadem actione liturgica omnino vitanda est.

III. De Missa in ritu professionis religiosæ adhibenda

9. Quoties professio religiosa, perpetua præsertim, intra Missam celebratur, convenienter dicitur una ex Missis ritualibus « in die professionis religiosorum », quæ sunt in Missali Romano aut in Propriis Missarum legitime probatis. Occurrente vero sollemnitate vel dominica temporis Adventus, Quadragesimæ, Paschæ dicitur Missa de die, servatis, pro opportunitate, formulis propriis in prece eucharistica et in benedictione finali.

10. Cum autem liturgia verbi celebrationi professionis aptata magnam vim habeat ad vitæ religiosæ naturam et munera illustranda, quando Missa « in die professionis religiosorum » prohibetur, unam lectionem sumere licet ex iis quæ in peculiari lectionario recensentur; præterquam in Triduo sacro, in sollemnitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes et Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi vel in aliis sollemnitatibus de præcepto servandis.

11. Ad Missam ritualem « in die professionis religiosorum » celebrandam, sacræ vestes coloris albi adhibentur.

IV. De aptationibus quæ singulis Institutis competunt

12. Normæ ad initiationis ritum peragendum (nn. 1-13) obligatoriæ non sunt, nisi contrarium aperte dicatur (ex. gr. de ritu semper extra Missam persolvendo, n. 2) aut res ad intimam ritus naturam pertineat (ex. gr. norma ut ritus sit simplex atque expeditus, n. 3).

13. Ritibus professionis temporalis, professionis perpetuæ, renovationis votorum uti debent omnes qui professionem religiosam intra Missam emittunt vel renovant, nisi iure particulari fruantur.[11]

14. Præstat tamen ut familiæ religiosæ ritum convenienter aptent, quo uniuscuiusque Instituti naturam et spiritum melius referat ac reddat. Ad hoc singulis Institutis facultas datur ritum aptandi, actis ab Apostolica Sede recognoscendis.

In professionis ritu aptando hæc præsertim serventur:

a) Ritus collocetur immediate post evangelium.

b) Partium distributio minime perturbetur. Nihil vero obstat quominus quædam partes omittantur vel aliæ similis naturæ in earum locum substituantur.

c) Discrimen liturgicum inter professionem perpetuam et professionem temporalem vel renovatam accurate servetur, nullam alterius peculiarem partem in alteram inducendo.

d) Ut suo loco dicitur, multæ formulæ ritus professionis commutari possunt, immo debent ut natura et spiritus Instituti ex illis emineat. Cum Rituale Romanum plures exhibet formulas ad libitum, Ritualia particularia possunt alias formulas eiusdem generis adicere.

15. Quoniam professio « coram sanctissimo Sacramento » ante ipsam Communionem cum recto liturgiæ sensu minus congruit, hic ritus prohibetur quominus posthac a novis familiis religiosis assumatur. Institutis autem quæ, iure particulari, eum adhibent suadetur ut eo uti desinant.

Item religiosi omnes qui particulari ritu utuntur, admonentur ut, sepositis iis quæ principiis instauratæ liturgiæ aperte contradicunt, purioribus liturgiæ formis adhæreant easque sectentur. Hac ratione sobrietas illa obtinebitur necnon dignitas et maior unitas hac in re tantopere commendatæ.[12]

[11] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 80.
[12] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 80.

ORDO PROFESSIONIS

PARS PRIOR

ORDO
PROFESSIONIS RELIGIOSORUM

CAPUT I

NORMÆ AD INITIATIONIS VITÆ RELIGIOSÆ RITUM PERAGENDUM

1. Die quo novitiatus canonicus incipit ritum peragere præstat ad Dei gratiam impetrandam, qua finis peculiaris ipsius attingatur.

2. Initiationis ritus ne intra Missam peragatur prohibetur.

3. Ritus sit admodum simplex, sobrius, fratrum cœtui tantum servatus.

4. In ritus textibus omnia vitentur quæ novitiorum libertatem quodammodo minuere videantur aut verum novitiatus seu experimenti sensum obumbrent.

5. Ad hunc ritum peragendum aula capitularis vel alius similis locus convenienter deligitur. Si autem necessarium videtur, ritus in sacello peragi potest.

Descriptio ritus

Initiationis ritus convenienter inseritur peculiari verbi Dei celebrationi, quæ naturam vitæ religiosæ et indolem Instituti illustret.

Ritus initiales

6. Ritus opportune incipit salutatione Superioris vel cantu psalmi aliusve apti hymni.

7. Deinde Superior ex postulantibus quærit quid petant his vel similibus verbis:

Fílii (fratres) dilectíssimi,
quid pétitis a nobis?

Postulantes omnes simul his vel similibus verbis respondent:

Ut conversatiónem vestram experiéntes,
a vobis probémur,
et ad perféctam Christi sequélam
in hac família N. admítti mereámur.

Superior respondet:

Dóminus auxiliétur vobis.

Omnes:

Amen.

8. Si placet, omissa interrogatione, postulatio fieri potest hoc modo: unus ex postulantibus, pro omnibus, ad Superiorem et communitatem conversus dicit hæc verba:

Misericórdia Dei compúlsi,
huc vénimus ad conversatiónem experiéndam vestram;
docéte nos, rogámus, Christum crucifíxum sequi,
páuperes, obœdiéntes castósque vívere;
oratióni instáre, pæniténtiam exercére,
Ecclésiæ cunctísque homínibus deservíre,
vobíscum cor unum esse et ánimam unam.
Adiuváte nos ut Evangélii præcépta
omni vitæ hora explicémus;
Régulam vestram discámus
legémque fratérnæ dilectiónis servémus.

Vel similia dicit verba ex ipsorum postulantium cordibus ac mentibus prompta.

Superior respondet his vel similibus verbis:

Mísericors Deus grátia vos fóveat sua
et divínus Magíster lumen præstet nobis.

Omnes:

Amen.

9. Expleta interrogatione vel postulatione, Superior dicit:

Orémus.

Deus, sanctæ vocatiónis largítor,
famulórum tuórum N. N. supplicatiónes benígnus exáudi,
qui nostræ cúpiunt aggregári famíliæ;

et concéde propítius,
ut commúnis vita
in mútuam convertátur dilectiónem.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Sacra verbi Dei celebratio

10. Tum leguntur sacrarum Scripturarum apti textus, congruentibus interiectis responsoriis (cf. nn. 91-136).

11. Quibus peractis, Superior fratrum cœtum et postulantes adloquitur de vitæ religiosæ natura atque Instituti indole vel aptum Regulæ capitulum legit.

Conclusio ritus

12. Ritus laudabiliter concluditur oratione universali seu fidelium et oratione dominica, ad quam adici potest apta prex, ex. gr.:

Deus, vocatiónis auctor et largítor,
fámulos tuos supplicántes intuére benígnus;
et fac ut hi fratres,
qui nostram cúpiunt conversatiónem experíri,
divínam voluntátem agnóscant
nosque in tuo confirmémur servítio.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

13. Postea Superior novitios nuper receptos Magistro tradit eosque una cum sodalibus fraterne salutat secundum familiæ religiosæ consuetudinem. Interea canitur aptus hymnus vel canticum laudis.

CAPUT II

RITUS PROFESSIONIS TEMPORALIS INTRA MISSAM PERAGENDUS

14. Ritus, qui hoc capite describitur, intra Missam peragitur; illi tantum religiosi qui, novitiatu feliciter expleto, primam professionem emittunt, eo uti possunt (cf. Præn., n. 5).*

15. Dicitur Missa liturgiæ diei respondens aut Missa ritualis in die primæ professionis religiosorum, iuxta rubricas (cf. Præn., n. 9).

16. In Institutis clericalibus Superior, qui professionem recipit, Sacrificio eucharistico recte præest. In Institutis vero laicalibus, opportuno presbyterii loco sedes paretur pro Superiore, sodalium professionem recepturo.

17. Professio religiosa de more fit ad sedem; quæ, si adiuncta expostulant, opportune paratur ante altare; in presbyterio scamna pro religiosis professuris sic disponantur ut tota actio liturgica a fidelibus bene conspici possit.

18. Panis et vinum sacrandum, ea parentur copia, quæ sufficiat ministris, profitentibus eorumque parentibus, propinquis, confratribus. Ideoque si unus adhibetur calix congruentis sit capacitatis.

19. Præter ea quæ pro Missæ celebratione necessaria sunt, hæc parentur: a) Rituale professionis religiosæ; b) habitus, si familia religiosa in prima professione suis alumnis eos tradere statuerit (cf. Præn., n. 5); c) liber Regulæ vel Constitutionum ceteraque religiosæ professionis insignia, quæ ex lege vel consuetudine sint tradenda.

RITUS INTROITUS

20. Populo ac sodalium conventu congregato omnibusque rite dispositis, incedit processio per ecclesiam ad altare, dum schola cum populo cantat introitum Missæ. Processio fit more solito, cui laudabiliter intersunt professuri, comitante Magistro et, in Institutis laicalibus, Superiore ipso.

* Qui autem post novitiatum simplici promissione aut aliis vinculis obligantur, peculiarem ritum pp. 95-108 descriptum, adhibebunt.

21. Cum ad presbyterium pervenerint, facta altari debita reverentia, omnes locis sibi designatis se disponunt; tum prosequitur Missa.

Liturgia verbi

22. In liturgia verbi omnia fiunt more solito, præter hæc:

a) lectiones vel e Missa diei vel e textibus, qui nn. 91-136 proponuntur, sumi possunt (cf. Præn., nn. 9-10);

b) Symbolum non dicitur, etiamsi rubricis liturgiæ diei præscribitur.

Professio religiosa

Appellatio vel postulatio

23. Dicto evangelio Celebrans et populus sedent, professuri vero stant. Tunc, si placet aut adiuncta expostulant, Diaconus vel novitiorum Magister nominatim professuros vocat, qui respondent:

Adsum

vel alio modo, secundum consuetudinem familiæ religiosæ vel loci.

24. Deinde Celebrans his vel similibus verbis professuros interrogat:

Fratres (fílii) dilectíssimi,
quid pétitis a Deo
et ab Ecclésia sancta eius?

Professuri omnes simul respondent his vel similibus verbis:

Misericórdiam Dómini
et grátiam Ipsi perféctius deserviéndi
in vestra (hac) família.

Celebrans et omnes familiæ religiosæ sodales respondent:

Deo grátias

vel alio apto modo.

25. Si placet, omissa appellatione atque Celebrantis interrogatione, fieri potest postulatio, ex. gr. hoc modo: unus ex professuris, stans,

omnium nomine, ad Celebrantem (aut ad Superiorem) conversus, hæc vel similia dicit verba:

Nos N. N., cum misericórdia Dei
vestram novérimus Régulam
et fratérne vobíscum probatiónis degérimus tempus,
a te, Pater (Frater), humíliter póscimus
ut Deo eiúsque Regno nos devoveámus
sanctam professiónem in hac emitténtes família N.

Celebrans et omnes familiæ religiosæ sodales respondent:

Deo grátias

vel alio apto modo.

Homilia seu allocutio

26. Tunc professuri quoque sedent et fit homilia seu allocutio, in qua opportune illustrantur cum lectiones biblicæ tum professionis religiosæ donum ac munus ad electorum sanctificationem atque Ecclesiæ totiusque humanæ familiæ bonum.

Interrogationes

27. Expleto sermone professuri surgunt; Celebrans eos interrogat num sint parati ad Deo se devovendos et perfectam sectandam caritatem secundum Regulam vel Constitutiones familiæ religiosæ. Quæstiones quæ hic proponuntur commutari aut ex parte omitti possunt pro uniuscuiusque familiæ religiosæ indole ac natura.

Celebrans interrogat:

Fílii (fratres) dilectíssimi,
quos aqua et Spíritus Deo sacrávit
vultis novo professiónis religiósæ título
árctius Ipsi coniúngi?

Professuri omnes simul respondent:

Volo.

Celebrans:

Vultis, ad Christum perfécte sequéndum
castitátem propter regnum cælórum custodíre,
voluntáriam paupertátem amplécti,
obœdiéntiæ munus offérre?

Professuri:

Volo.

28. Tunc Celebrans his vel similibus verbis eorum voluntatem confirmat, dicens:

Quod Deus omnípotens
concédat vobis per grátiam suam.

Omnes:

Amen.

Divinæ gratiæ expostulatio

29. Deinde Celebrans divinum auxilium exposcit, dicens:

Orémus.

Et, pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc:

Réspice, quæsumus, Dómine,
super hos fámulos tuos,
qui hódie coram Ecclésia,
evangélica profiténtes consília,
vitam tibi dicáre conténdunt;
et miserátus concéde
ut eórum conversátio
Nomen tuum gloríficet
et mystério redemptiónis insérviat.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Professio

30. Oratione expleta, duo sodales, si consuetudo familiæ religiosæ id postulat, stantes prope Celebrantem (aut Superiorem), speciali testium munere funguntur. Professuri singuli accedunt ad Celebrantem et legunt professionis formulam.

Si autem professuri complures sunt, professionis formula ab omnibus simul recitari potest, a singulis vero concludenda est verbis « Sic promítto ... » vel similibus, quæ singulorum voluntatem aperte declarent.

Emissa professione, religiosi ad locum suum redeunt ibique stant.

Insignium professionis traditio

31. Quibus expletis, novitiorum Magister et aliqui religiosi singulis professis sacrum habitum tradunt, quem ipsi sibi indúunt vel in presbyterio vel alio apto loco. Interim schola, pro opportunitate, intonat antiphonam:

Hæc est generátio quæréntium Dóminum,
quæréntium fáciem Dei Iacob

cum Psalmo 23 vel alium congruentem cantum. Altero quoque versu repetitur antiphona; in fine psalmi non dicitur Glória Patri sed antiphona. Si contingit autem ut sacri habitus traditio compleatur antequam psalmus integer decantatus sit, psalmus interrumpitur et repetitur antiphona.

32. Deinde, ubi mos est, religiosi nuper professi, habitu religioso induti, accedunt ad Celebrantem (aut ad Superiorem), qui Regulæ vel Constitutionum librum unicuique tradit his vel similibus verbis:

Accipe nostræ (huius) famíliæ Régulam,
ut eam fidéliter servándo
perféctam caritátem attíngas.

Professus respondet:

Amen.

Et, recepto libro, ad locum suum redit ibique stat.

33. Si autem religiosi nuper professi sunt plures, aliave iusta de causa, Celebrans (aut Superior) Regulam eis tradit formulam recitans semel pro omnibus, his vel similibus verbis:

Accípite nostræ (huius) famíliæ Régulam,
ut eam fidéliter servándo,
perféctam caritátem attingátis.

Professi omnes simul respondent:

Amen.

Et accedunt ad Celebrantem (aut ad Superiorem), qui eis Regulæ vel Constitutionum librum tradit. Recepto libro, professi ad locum suum redeunt ibique stant.

34. Si secundum leges vel consuetudines familiæ religiosæ alia professionis insignia tradenda sunt, hic tradantur silentio vel apta formula. In hac tamen re, decora sobrietas servanda est.

35. Altera tradendi professionis insignia ratio decribitur nn. 137-139.

Conclusio professionis ritus

36. Ritus apte concluditur recitatione orationis universalis seu fidelium, ad quam adhiberi potest formula quæ nn. 140-142 proponitur.

LITURGIA EUCHARISTICA

37. Dum cantus ad offertorium canitur, nonnulli religiosi nuper professi ad altare opportune afferunt panem, vinum, aquam pro Sacrificio eucharistico.

38. Si opportunum videtur, in hac Missa Celebrans pacem dat singulis religiosis nuper professis more consueto aut secundum loci vel familiæ religiosæ consuetudinem.

39. Postquam Celebrans Corpus et Sanguinem Domini sumpsit, religiosi nuper professi ad altare accedunt communionem recepturi, quæ sub utraque specie eis distribui potest. Post eos, parentes, propinqui, confratres eodem modo Eucharistiam sumere possunt.

CAPUT III

RITUS PROFESSIONIS PERPETUÆ INTRA MISSAM PERAGENDUS

40. Ad professionis ritum peragendum, quo religiosus Deo in perpetuum mancipatur, laudabiliter eligitur dies dominica aut sollemnitas Domino, beatæ Mariæ Virgini vel Sanctis qui in vita religiosa eminuerunt, dicata.

41. Ritus professionis perpetuæ peragitur separatim a reliquis professionis ritibus (cf. Præn., n. 8).

42. Fideles de die atque hora tempestive certiores fiant, quo frequentiores accurrere possint.

43. Dicitur Missa liturgiæ diei respondens aut Missa ritualis in die professionis perpetuæ religiosorum, iuxta rubricas (cf. Præn., n. 9).

44. Ubi fieri potest nec utilitas Christi fidelium singularem celebrationem omnium sacerdotum præsentium postulet, Missa concelebrata præferatur, cui Superior sacerdos, sodalium professionem recepturus, recte præsit.

45. De more professio fit in ecclesia familiæ religiosæ. Si autem ob rationes pastorales aut ad vitæ religiosæ laudem et populi Dei ædificationem concursumque fovendum opportunum videtur, ritus in cathedrali vel parœciali aliave insigni ecclesia congruenter persolvitur.

46. Item, sicubi duo vel plures familiæ religiosæ in eodem Sacrificio eucharistico professionem emittere exoptant, professio in cathedrali vel parœciali aliave insigni ecclesia opportune fit, Episcopo præsidente atque Superioribus Institutorum concelebrantibus. Ante suum quisque Superiorem professuri vota pronuntiabunt.

47. Ut ritus natura postulat, tota actio liturgica celebretur congrua sollemnitate, at caveatur sumptuositas quae dedeceat paupertatem religiosam.

48. Professio religiosa de more fit ad sedem; ad participationem autem fidelium expediendam, sedes pro Celebrante opportune paratur ante altare. In Institutis laicalibus, opportuno presbyterii loco

sedes paretur pro Superiore, sodalium professionem recepturo; in eodem presbyterio scamna pro religiosis professuris sic disponantur, ut tota actio liturgica a fidelibus bene conspici possit.

49. Panis et vinum sacrandum, ea parentur copia, quæ sufficiat ministris, profitentibus eorumque parentibus, propinquis, confratribus. Ideoque si unus adhibetur calix congruentis sit capacitatis.

50. Præter ea quæ pro Missæ celebratione necessaria sunt, hæc parentur: a) Rituale professionis religiosæ; b) professionis religiosæ insignia, si secundum leges vel consuetudines familiæ religiosæ sunt tradenda.

Ritus introitus

51. Populo ac sodalium conventu congregato omnibusque rite dispositis, incedit processio per ecclesiam ad altare, dum schola cum populo cantat introitum Missæ. Processio fit more solito, cui laudabiliter intersunt professuri, comitante Magistro et, in Institutis laicalibus, Superiore ipso. Cum ad presbyterium pervenerint, facta altari debita reverentia, omnes locis sibi designatis se disponunt; tum prosequitur Missa.

Liturgia verbi

52. In liturgia verbi omnia fiunt more solito, præter hæc:

a) lectiones vel e Missa diei vel e textibus, qui nn. 91-136 proponuntur, sumi possunt (cf. Præn., nn. 9-10);

b) Symbolum non dicitur, etiamsi rubricis liturgiæ diei praescribitur;

c) item oratio fidelium omittitur.

Professio religiosa

Appellatio vel postulatio

53. Dicto evangelio, Celebrans et populus sedent; professuri vero stant. Tunc, si placet aut adiuncta expostulant, Diaconus vel Magister nominatim professuros vocat, qui respondent:

Adsum

vel alio modo secundum consuetudines familiæ religiosæ vel loci.

54. Deinde Celebrans his vel similibus verbis professuros interrogat:

Fratres (fílii) dilectíssimi,
quid pétitis a Dómino
et ab Ecclésia eius sancta?

Professuri omnes simul respondent his vel similibus verbis:

Ut in Dómini servítio ac vestra família
usque ad mortem perseveráre valeámus.

Celebrans et omnes familiæ religiosæ sodales respondent:

Deo grátias

vel alio apto modo.

55. Si placet, omissa appellatione atque Celebrantis interrogatione, fieri potest postulatio hoc modo: unus ex professuris stans, omnium nomine, ad Celebrantem (aut ad Superiorem) conversus, hæc vel similia dicit verba:

Nos N. N., cum misericórdia Dei
vitam Ipsi vínculis sacris dicátam
in vestra novérimus communitáte,
a te, Pater (Frater), humíliter póscimus,
ut professiónem perpétuam
in hac emittámus família N.
ad Dei laudem et Ecclésiæ servítium.

Celebrans et omnes familiæ religiosæ sodales respondent:

Deo grátias

vel alio apto modo.

Homilia seu allocutio

56. Tunc professuri quoque sedent et fit homilia seu allocutio, in qua opportune illustrantur cum lectiones biblicæ tum professionis religiosæ donum ac munus ad electorum sanctificationem atque Ecclesiæ totiusque humanæ familiæ bonum.

Interrogationes

57. Expleto sermone, professuri surgunt et Celebrans eos interrogat num sint parati ad Deo se devovendos et perfectam sectandam caritatem secundum Regulam vel Constitutiones familiæ religiosæ. Quæstiones quæ hic ponuntur commutari aut ex parte omitti possunt pro uniuscuiusque familiæ religiosæ indole ac natura.

Celebrans interrogat dicens:

Fílii (fratres) dilectíssimi, iam per baptísmum
peccáto mórtui ac Dómino sacráti,
vultis perpétuæ professiónis título
intímius Deo consecrári?

Professuri respondent omnes simul:

Volo.

Celebrans:

Vultis, Dei adiuvánte grátia,
eándem vitam perféctæ castitátis,
obœdiéntiæ et paupertátis,
quam Christus Dóminus eiúsque Virgo Mater sibi elegérunt
amplécti et in perpétuum serváre?

Professuri:

Volo.

Celebrans:

Vultis, Evangélium studióse sectántes
ac vestræ famíliæ Régulam custodiéntes,
ad perféctam caritátem erga Deum et próximum
constánter firmitérque conténdere?

Professuri:

Volo.

Celebrans:

Vultis, Sancti Spíritus subveniénte múnere,
in pópuli Dei servítium
totam vitam generóse impéndere?

Professuri:

Volo.

58. Pro familiis religiosis vitæ contemplativæ integre addictis convenienter additur:

Celebrans:

Vultis in solitúdine ac siléntio,
in assídua prece et álacri pæniténtia,
in húmili labóre sanctísque opéribus
soli Deo vacáre?

Professuri:

Volo.

59. Interrogationibus expletis, Celebrans professurorum voluntatem confirmat, dicens hæc vel similia verba:

Qui incépit in vobis opus bonum,
ipse perfíciat in diem Christi Iesu.

Omnes:

Amen.

Supplicatio litanica

60. Deinde omnes surgunt. Celebrans stans, manibus iunctis, dicit conversus ad populum:

Orémus, fratres dilectíssimi,
Deum Patrem omnipoténtem,
ut super hos fámulos,
quos ad perféctam Christi sequélam vocávit,
benedictiónis suæ grátiam cleménter effúndat
eósque in sancto propósito
benígna pietáte confírmet.

Diaconus admonet:

Flectámus génua.

Mox Celebrans ante sedem suam genua flectit; professuri vero, secundum loci aut familiæ religiosæ consuetudinem, vel procumbunt vel genua flectunt; ceteri autem genua flectunt.

62. Tunc cantores Litanias ritus professionis religiosæ canunt, omnibus respondentibus. In his Litaniis alterutra petitio, quæ eadem littera signatur, omitti potest. Apto autem loco inseri possunt invocationes eorum Sanctorum, qui a familia religiosa vel a populo peculiari veneratione coluntur, necnon, pro opportunitate, aliæ addi petitiones.

Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.

Sancta María, Mater Dei,	ora pro nobis
Sancte Míchaël,	ora pro nobis
Sancti Angeli Dei,	oráte pro nobis
Sancte Ioánnes Baptísta,	ora pro nobis
Sancte Ioseph,	ora pro nobis
Sancti Petre et Paule,	oráte pro nobis
Sancte Ioánnes,	ora pro nobis
Sancta María Magdaléna,	ora pro nobis
Sancti Stéphane et Laurénti,	oráte pro nobis
Sancta Agnes,	ora pro nobis
Sancte Basíli,	ora pro nobis
Sancte Augustíne,	ora pro nobis
Sancte Benedícte,	ora pro nobis
Sancte Bernárde,	ora pro nobis
Sancti Francísce et Domínice,	oráte pro nobis
Sancte Ignáti de Loyola,	ora pro nobis
Sancte Vincénti de Paul,	ora pro nobis
Sancte Ioánnes Bosco,	ora pro nobis
Sancta Catharína Senénsis,	ora pro nobis
Sancta Terésia de Avila,	ora pro nobis
Omnes Sancti et Sanctæ Dei,	oráte pro nobis

Propítius esto, líbera nos, Dómine
Ab omni malo, líbera nos, Dómine
Ab omni peccáto, líbera nos, Dómine
A morte perpétua, líbera nos, Dómine
Per incarnatiónem tuam, líbera nos, Dómine
Per mortem et resurrectiónem tuam, líbera nos, Dómine
Per effusiónem Spíritus Sancti, líbera nos, Dómine
Peccatóres, te rogámus, audi nos

a) Ut Ecclésiæ vitam,
famulórum tuórum oblatióne et apostolátu,
uberiórem præstáre dignéris, te rogámus, audi nos

a) Ut in fámulo tuo Papa nostro N.
ceterísque Epíscopis
Sancti Spíritus dona
in dies adaugére dignéris, te rogámus, audi nos

b) Ut religiosórum vitam et óperam
ad humánæ societátis proféctum ordináre dignéris, te rogámus, audi nos

b) Ut univérsos hómines
ad vitæ christiánæ plenitúdinem
dúcere dignéris, te rogámus, audi nos

c) Ut in ómnibus famíliis tibi dicátis
Christi caritátem et Fundatórum spíritum
conserváre et augére dignéris, te rogámus, audi nos

c) Ut omnes qui evangélica profiténtur consília
óperi Redemptiónis plénius adsociáre dignéris, te rogámus, audi nos

d) Ut horum famulórum paréntes
pro múnere quod tibi obtulérunt
cæléstibus donis locupletáre dignéris, te rogámus, audi nos

e) Ut hos fámulos tuos
Christo, primogénito in multis frátribus,
in dies conformáre dignéris, te rogámus, audi nos
e) Ut his fámulis tuis
perseverántiæ virtútem donáre dignéris, te rogámus, audi nos
e) Ut hos fámulos tuos, fratres nostros,
benedícere,
et sanctificáre
et consecráre dignéris, te rogámus, audi nos
Iesu, Fili Dei vivi, te rogámus, audi nos
Christe, audi nos.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Christe, exáudi nos.

63. Deinde Celebrans tantum surgit et, iunctis manibus, dicit:

Annue, quǽsumus, Dómine,
précibus pópuli supplicántis
et cælésti grátia
famulórum tuórum corda dispóne,
ut sacránda tibi péctora
Sancti Spíritus ignis
ab omni culpárum labe puríficet
et caritátis ardóre veheménter accéndat.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Diaconus:

Leváte.

Et omnes surgunt.

Professio

64. Supplicatione litanica expleta, duo sodales iam professi, pro familiæ religiosæ consuetudine, ad sedem Celebrantis (aut Superioris) accedunt et, stantes, speciali testium munere funguntur. Professuri singuli accedunt ad Celebrantem (aut Superiorem) et legunt professionis formulam, quam sua ipsorum manu opportune antea scripserunt.

65. Deinde professus laudabiliter ad altare se confert atque in illo schedulam professionis deponit; tum, si commode fieri potest, professionis instrumenta signat super ipso altari. Quo facto, redit ad locum sibi adsignatum.

66. Quibus expletis, professi, stantes, canere possunt, pro familiæ religiosæ moribus, antiphonam vel alium cantum, qui modo lyrico sensum donationis et gaudii exprimat, ex. gr.:

Súscipe me, Dómine,
secúndum elóquium tuum et vivam;
et non confúndas me
ab exspectatióne mea.

Sollemnis benedictio seu consecratio professi

67. Tum religiosi nuper professi genua flectunt et Celebrans, extensis manibus ante pectus, dicit benedictionis precem Deus, omnis sanctitátis fons et orígo, in qua verba inter uncos posita, pro opportunitate, omittere potest, vel precem Deus, per quem Ecclésia tua sanctificáta viréscit, quæ n. 143 invenitur.

Deus, omnis sanctitátis fons et orígo,
hómines a te creátos ita dilexísti
ut divínæ natúræ consórtes effíceres;
quod tuæ bonitátis consílium
nec Adæ peccátum exstínguere
nec mundi crímina valuérunt mutáre.
Etenim témporum primórdiis
nobis Abélem præbuísti
innocéntis conversatiónis exémplar;
ex dilécta autem Hebræórum plebe

sanctos deínceps viros próvide suscitásti
omníque virtúte præcláras mulíeres,
in quibus Sion éminet Fília,
sanctíssima semper Virgo María,
cuius de castis viscéribus
Verbum tuum pro mundi salúte incarnátum procéssit,
Iesus Christus Dóminus noster.
Qui a te, Pater, forma sanctitátis efféctus,
ut nos ditáret se fecit egénum
servíque vestem índuit
ut nos rédderet libertáti.
Mystério autem Pascháli
mundum ineffábili caritáte redémit
suámque sanctificávit Ecclésiam,
cui a te, Dómine, Spíritus dona proméruit.
Tu enim, voce suggerénte Paráclìti,
ad Christi sequélam
innúmeros fílios attraxísti
qui, relíctis ómnibus,
suávibus nexi vínculis caritátis
tibi fervénti adhærérent ánimo
cunctísque frátribus deservírent.
Réspice ergo, Dómine, super hos fámulos tuos,
quos supérna providéntia vocavísti,
et emítte in eos Spíritum sanctitátis
ut quod, te donánte, læti promisérunt,
te adiuvánte, fidéles adímpleant.
Divíni Magístri exémpla
studióse intueántur,
imiténtur assídue.
(Sit in eis, Dómine,
intemeráta cástitas,
læta paupértas,
obœdiéntia generósa.

Tibi humilitáte compláceant,
submísso corde desérviant,
caritáte fervénter adhǽreant.
Sint in tribulatióne patiéntes,
stábiles in fide,
spe gaudéntes,
operántes amóre).
Eórum conversátio Ecclésiam ædíficet,
mundi salútem promóveat
ac bonórum cæléstium
signum exsístat præclárum.
Dómine, sancte Pater, his fámulis tuis
sis munímen ac régimen;
et cum ad Fílii tui tribúnal pervénerint,
sis merces et prǽmium;
ut devotiónis suæ múnera adimplésse læténtur;
et in tua caritáte firmáti,
Sanctórum fruántur consórtio
cum quibus perpétuum tibi honórem retríbuant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Insignium professionis traditio

68. Benedictione professorum absoluta, si secundum consuetudines familiæ religiosæ tradenda sunt quædam professionis insignia, religiosi nuper professi surgunt et ad Celebrantem accedunt, qui sua cuique tradit insignia silentio vel apta formula.

Interea schola, una cum populo, cantat antiphonam:

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine;
in sǽcula sæculórum laudábunt te!

cum Psalmo 83, vel alium congruentem cantum.

Altero quoque versu repetitur antiphona; in fine psalmi non dicitur Glória Patri sed antiphona. Si contingit autem ut insignium traditio compleatur antequam psalmus integer decantatus sit, psalmus interrumpitur et repetitur antiphona.

70. Absoluta vero insignium traditione, secus expleta sollemnis benedictionis prece, ubi mos viget vel opportunum videtur, significari potest religiosos nuper professos in perpetuum Instituto esse aggregatos vel aptis verbis a Celebrante (aut a Superiore) prolatis vel osculo pacis, ex. gr.:

a) Celebrans (aut Superior) hæc vel similia profert verba:

Confirmámus vobis
partem et societátem huius famíliæ N.
ut ómnia commúnia posthac nobíscum habeátis.

Quibus, pro opportunitate, additur:

Vos autem sanctum ministérium
ab Ecclésia commíssum
eiúsque nómine exercéndum,
fidéliter persólvite.

Et omnes illius familiæ religiosæ sodales assentiunt dicentes:

Amen.

b) Vel, his omissis, Celebrans (Superior) sodalesque ad osculum pacis admittunt religiosos nuper professos, more consueto vel secundum loci consuetudinem. Interea schola, una cum populo, cantat antiphonam:

Ecce quam bonum et quam iucúndum
habitáre fratres in unum!

cum Psalmo 132, vel alium congruentem cantum.

Osculum autem pacis, si hic datur, ante communionem omittitur.

71. Quibus expletis, religiosi nuper professi ad loca sibi designata revertuntur. Tum prosequitur Missa.

Liturgia eucharistica

72. Dum cantus ad offertorium canitur, nonnulli religiosi nuper professi ad altare opportune afferunt panem, vinum, aquam pro Sacrificio eucharistico.

73. In Precibus eucharisticis professorum oblatio secundum has formulas opportune commemoratur:

a) in Prece eucharistica I dicitur « Hanc ígitur » proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et famulórum tuórum,
quam tibi in die eórum professiónis offérimus,
quǽsumus, Dómine,
placátus áccipe et propitiátus sanctífica;
ut qui, te largiénte,
hódie vitam suam tibi dicárunt,
in Fílii tui glorióso advéntu
ætérnæ Paschæ gáudio
mereántur admítti.
(Per Christum Dóminum nostrum).

b) in intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba « ... univérso clero » additur:

Recordáre quoque, Dómine, istórum fratrum,
qui hódie se tibi dicárunt perpétuo servítio,
et concéde ut ad te semper corda mentésque érigant
Noménque tuum gloríficent.

c) in intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba « ... pópulo acquisitiónis tuæ » additur:

Confortáre quoque in sancto propósito dignéris
hos fámulos tuos,
qui hódie sacris religiónis vínculis
perpétuo tibi se devinxérunt,
et fac ut in Ecclésia tua
novam et ætérnam vitam man
féstent
Christi redemptióne comparátam.

d) intercessionibus Precis eucharisticæ IV, mentio professorum inseri potest hoc modo:

... sed et totíus cleri,
et istórum fratrum, qui professióne religiósa
hódie tibi árctius consecrántur,
et offeréntium,
et circum astántium ...

74. Si osculum pacis datum non est (cf. n. 70 b), nunc Celebrans pacem dat singulis religiosis nuper professis more consueto aut secundum loci vel familiæ religiosæ consuetudinem.

75. Postquam Celebrans Corpus et Sanguinem Domini sumpsit, religiosi nuper professi ad altare accedunt communionem recepturi, quæ sub utraque specie eis distribui potest. Post eos, parentes, propinqui, confratres eodem modo Eucharistiam sumere possunt.

Dimissio

76. Oratione post communionem expleta, religiosi nuper Deo sacrati ante altare sistunt ac Celebrans, ad eos conversus, dicere potest:

Deus, tanti óperis efféctor et múneris,
supérna grátia vos rérpleat,
ut vitæ opéribus et morum sanctitáte
pópulum suum ædificétis.

Omnes:

Amen.

Ipse divínæ vos fáciat caritátis
apud omnes gentes testimónium et signum.

Omnes:

Amen.

Quos ad perféctam Christi sequélam
in terris vocáre dignátus est,
in cælos tandem cleménter excípiat.

Omnes:

Amen.

Altera benedictionis formula, n. 144.

77. Denique universum populum benedicit:

Et vos omnes, qui his sacris adéstis,
benedícat omnípotens Deus
Pater, et Fílius ✠, et Spíritus Sanctus.

Omnes:

Amen.

CAPUT IV

RITUS RENOVATIONIS VOTORUM INTRA MISSAM PERAGENDUS

78. Votorum renovatio, quæ vel ex lege generali Ecclesiæ vel ex peculiari Constitutionum præscripto fit, si familiæ religiosæ opportunum videtur, intra Missam peragi potest.

79. Ritus renovationis votorum maxima sobrietate peragatur, præsertim si vota secundum Constitutiones Instituti religiosi sæpius vel quotannis renovantur.

80. Dicitur Missa liturgiæ diei respondens aut Missa ritualis in die renovationis votorum, iuxta rubricas (cf. Præn., n. 9).

81. In Institutis clericalibus Superior, qui votorum renovationem recipit, celebrationi Sacrificii eucharistici recte præest. In Institutis vero laicalibus, opportuno presbyterii loco, sedes paretur pro Superiore, sodalium professionem recepturo.

82. Religiosi, qui professionem renovant, communionem sub utraque specie sumere possunt. Ideoque si unus adhibetur calix, congruentis sit capacitatis.

Liturgia verbi

83. In liturgia verbi omnia fiunt more solito, præter hæc:

a) lectiones vel e Missa diei vel e textibus, qui nn. 91-136 proponuntur, sumi possunt (cf. Præn., nn. 9-10);
b) Symbolum non dicitur, etiamsi rubricis liturgiæ diei præscribitur.

84. Post evangelium fit homilia, in qua cum lectiones sacræ Scripturæ tum vis et virtus vitæ religiosæ commemorantur.

VOTORUM RENOVATIO

Divinæ gratiæ expostulatio

85. Homilia expleta, Celebrans divinum auxilium exposcit, dicens:

Orémus, fratres dilectíssimi,
Deum, perseverántis consílii largitórem,
pro his fámulis eius,
qui hódie coram Ecclésia
professiónem renováre conténdunt.

Omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Deinde Celebrans dicit:

Réspice, quǽsumus, Dómine,
super hos fámulos tuos,
qui arcáno Providéntiæ consílio
ad evangélicam perfectiónem vocásti;
et miserátus concéde
ut iter amóris tui,
quod álacres sunt aggréssi,
perseveránti caritáte confíciant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Renovatio professionis

86. Oratione expleta, duo sodales, si consuetudo familiæ religiosæ id expostulat, stantes prope Celebrantem (aut Superiorem), speciali testium munere funguntur.

Professuri singuli accedunt ad Celebrantem (aut Superiorem) et legunt professionis formulam. Si autem professuri complures sunt, professionis formula ab omnibus simul recitari potest, a singulis vero concludenda est verbis « Sic promítto ... » vel similibus verbis, quæ singulorum voluntatem aperte declarent.

Conclusio ritus renovationis votorum

87. Ritus apte concluditur recitatione orationis universalis seu fidelium, ad quam adhiberi potest formula quæ nn. 140-142 proponitur.

Liturgia eucharistica

88. Dum cantus ad offertorium canitur, nonnulli religiosi qui vota nuper renovarunt ad altare opportune afferunt panem, vinum, aquam pro Sacrificio eucharistico.

89. Celebrans pacem dat singulis religiosis, qui nuper professionem renovarunt, more consueto aut secundum loci vel familiæ religiosæ consuetudinem. Si autem sunt complures, pacem dat primo eorum, qui eam affert reliquis.

90. Postquam Celebrans Corpus et Sanguinem Domini sumpsit, religiosi qui nuper professionem renovarunt ad altare accedunt, communionem sub utraque specie recepturi.

CAPUT V

ALII TEXTUS IN PROFESSIONIS RELIGIOSORUM RITIBUS ADHIBENDI

I. Lectiones Biblicæ

Lectiones e Vetere Testamento

91. Gen 12, 1-4 a: « Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et veni ».
In diebus illis: Dixit Dominus ad Abram ... 4 usque ad Dominus.

92. 1 Sam 3, 1-10: « Loquere, Domine, quia audit servus tuus ».
In diebus illis: Puer Samuel ministrabat Domino ...

93. 1 Reg 19, 4-9 a. 11-15 a: « Sta in monte coram Domino ».
In diebus illis: Perrexit Elias in desertum ... 9 usque ad in spelunca. 15 usque ad in Damascum.

94. 1 Reg 19, 16 b. 19-21: « Consurgens Eliseus abiit et secutus est Eliam ».
In diebus illis: Dixit Dominus ad Eliam: Eliseum, filium Saphat ...

Lectiones e Novo Testamento

95. Act 2, 42-47: « Omnes qui credebant erant pariter, et habebant omnia communia ».
Erant perseverantes in doctrina apostolorum ...

96. Act 4, 32-35: « Cor unum et anima una ».
Multitudinis credentium erat cor unum ...

97. Rom 6, 3-11: « In novitate vitæ ambulemus ».
Fratres: Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu ...

98. Rom 12, 1-13: « Exhibete corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem ».
Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei ...

99. 1 Cor 1, 22-31: « Verbum crucis pereuntibus stultitia est; nobis, Dei virtus est ».
Fratres: Iudæi signa petunt ...

100. Eph 1, 3-14: « Elegit nos Deus in Christo ut essemus sancti et immaculati in caritate ».
Fratres: Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi ...

101. Phil 2, 1-4: « Idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes ».
Fratres: Si qua consolatio in Christo ...

102. Phil 3, 8-14: « Omnia detrimentum feci, ut Christum lucrifaciam ».
Fratres: Verumtamen existimo omnia ...

103. Col 3, 1-4: « Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram ».
Fratres: Si consurrexistis cum Christo ...

104. Col 3, 12-17: « Super omnia caritatem habete, quod est vinculum perfectionis ».
Fratres: Induite vos sicut electi Dei ...

105. 1 Thess 4, 1-3 a. 7-12: « Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra ».
Fratres, rogamus vos ... 3 usque ad sanctificatio vestra.

106. 1 Petr 1, 3-9: « Cum Iesum Christum non videritis, diligitis ».
Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi ...

107. 1 Ioan 4, 7-16: « Si diligamus invicem, Deus in nobis manet ».
Carissimi, diligamus nos invicem ...

108. Apoc 3, 14 b. 20-22: « Cenabo cum illo et ipse mecum ».
Hæc dicit Amen ...

109. Apoc 22, 12-14. 16-17. 20: « Veni, Domine Iesu! ».
Ego, Ioannes, audivi vocem dicentem mihi: Ecce venio cito ...

Psalmi Responsorii

110. Ps 23, 1-2, 3-4 ab, 5-6
℟. (6): Hæc est generatio quærentium faciem tuam, Domine.

111. Ps 26, 1, 4, 5, 8 b-9 a b c, 9 d et 11
℟. (8 b): Faciem tuam, Domine, quæro.

112. Ps 32, 2-3, 4-5, 11-12, 13-14, 18-19, 20-21
℟. (12 b): Beatus populus quem elegit Dominus in hereditatem suam.

113. Ps 33, 2-3, 4-5, 6-7, 8-9
vel 10-11, 12-13, 14-15, 17 et 19
℟. (2 a): Benedicam Dominum in omni tempore.
vel (9 a): Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.

114. Ps 39, 2 et 4 a b, 7-8 a, 8 b-9, 10, 12
℟. (8 a et 9 a): Ecce venio, Domine, ut faciam voluntatem tuam.

115. Ps 62, 2, 3-4, 5-6, 8-9
℟. (2 b): Sitit in te anima mea, Domine, Deus meus.

116. Ps 83, 3, 4, 5-6 a et 8 a, 11, 12
℟. (2): Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!

117. Ps 99, 2, 3, 4, 5
℟. (2 c): Introite in conspectu Domini, in exsultatione.

Alleluia et Versus ante Evangelium

118. Ps 132, 1: Ecce quam bonum et quam iucundum
habitare fratres in unum!

119. Mt 11, 25: Benedictus es, Pater, Domine cæli et terræ,
quia mysteria regni parvulis revelasti.

120. Ioan 13, 34: Mandatum novum do vobis, dicit Dominus,
ut diligatis invicem sicut dilexi vos.

121. Ioan 15, 5: Ego sum vitis, vos palmites, dicit Dominus;
qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum.

122. 2 Cor 8, 9: Iesus Christus egenus factus est, cum esset dives,
ut illius inopia vos divites essetis.

123. Gal 6, 14: Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini,
per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

124. Phil 3, 8-9: Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora,
ut Christum lucrifaciam et inveniar in illo.

Evangelia

125. Mt 11, 25-30: « Abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis ».

In illo tempore, respondens Iesus dixit ...

126. Mt 16, 24-27: « Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam ».

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis ...

127. Mt 19, 3-12: « Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum ».

In illo tempore: Accesserunt ad Iesum pharisæi ...

128. Mt 19, 16-26: « Si vis perfectus esse, vende quæ habes et sequere me ».

In illo tempore: Ecce unus accedens ad Iesum ait illi ...

129. Mc 3, 31-35: « Qui fecerit voluntatem Dei, hic frater meus et soror mea et mater est ».

In illo tempore: Veniunt mater Iesu et fratres ...

130. Mc 10, 24 b-30: « Ecce nos dimisimus omnia et secuti sumus te ».

In illo tempore: Ait Iesus discipulis suis: Filioli ...

131. Lc 9, 57-62: « Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei ».

In illo tempore: Ambulantibus Iesu et discipulis suis in via ...

132. Lc 11, 27-28: « Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud ».

In illo tempore: Extollens vocem quædam mulier ...

133. Ioan 12, 24-26: « Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum affert ».

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis ...

134. Ioan 15, 1-8: « Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum ».

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ego sum vitis vera ...

135. Ioan 15, 9-17: « Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis ».

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Sicut dilexit me Pater ...

136. Ioan 17, 20-26: « Volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum ».

In illo tempore: [Sublevatis Iesus oculis in cælum, oravit dicens: Pater sancte,] non pro eis rogo tantum ...

II. Altera ratio tradendi primæ professionis insignia

137. Emissa professione, Celebrans (aut Superior), adiuvante novitiorum Magistro, singulis professis vestem religiosam tradit, dicens, ex. gr.:

Accipe hanc vestem
tuæ consecratiónis signum,
et intus fidem Dómino serva,
quam foris sacer declárat hábitus.

Professus respondet:

Amen.

Et apto loco habitum ipse sibi induit. Postquam primus vel secundus professus habitum recepit, schola, pro opportunitate, intonat antiphonam:

Hæc est generátio quæréntium Dóminum,
quæréntium fáciem Dei Iacob.

cum Psalmo 23 vel alium congruentem cantum. Altero quoque versu repetitur antiphona; in fine psalmi non dicitur Glória Patri sed antiphona. Si contingit autem ut insignium traditio compleatur antequam psalmus integer decantatus sit, psalmus interrumpitur et repetitur antiphona.

138. Deinde, ubi mos est, religiosi nuper professi, habitu religioso induti, accedunt ad Celebrantem (aut ad Superiorem), qui Regulæ vel Constitutionum librum unicuique tradit his vel similibus verbis:

Accipe nostræ (huius) famíliæ Régulam,
ut eam fidéliter servándo
perféctam caritátem attíngas.

Professus respondet:

Amen.

Et, recepto libro, ad locum suum redit ibique stat.

139. Si autem religiosi nuper professi sunt complures, aliave iusta de causa, Celebrans (aut Superior) habitum et Regulam tradere potest, formulam recitans semel pro omnibus.

Si vero, secundum leges vel consuetudines familiæ religiosæ alia professionis insignia tradenda sunt, hic traduntur silentio vel apta formula. In hac tamen re, decora sobrietas servanda est.

III. Oratio universalis seu fidelium ad libitum adhibenda

Monitio

140. a) In Missa primæ professionis:

Gaudet hódie, fratres dilectíssimi,
nostra spirituális família,
quod hi fámuli Dei, prima professióne,
Christi et Ecclésiæ student impénsius deservíre;
ad Deum Patrem ígitur,
a quo vocatiónis donum descéndit,
preces dirigámus unánimi.

b) In Missa qua vota renovantur:

Súpplices, fratres dilectíssimi,
ad Deum Patrem dirigámus preces
pro Ecclésia sancta eius,
pro mundi pace et salúte,
pro nostra religiósa família,
pro his frátribus,
qui sacra vota hódie renovárunt.

Intentiones

141. I. a) Pro Ecclésia Sancta Dei:
ut filiórum suórum decoráta virtútibus,
Christo Sponso
fulgídior in dies eníteat,
Dóminum exorémus.

b) Pro Summo Pontífice ceteríisque Epíscopis:
ut pastorále munus fidéliter adimpléntes,
univérsum Christi gregem

verbo nútriant et amóre prævéniant,
Dóminum exorémus.

II. a) Pro mundi pace et salúte:
ut religiósi omnes
Christi pacis præcónes sint atque minístri,
Dóminum exorémus.

b) Pro universárum géntium bono:
ut omnes divíno servítio addícti
cæléstia sectántes
hóminum quoque proféctum
indesinénter fóveant,
Dóminum exorémus.

c) Pro cunctis Christi fidélibus:
ut arcánam Dei vocem
ad sanctitátem omnes invitántem
áuribus inténtis percípiant,
Dóminum exorémus.

d) Pro paupéribus et afflíctis:
ut divíni Magístri exemplo
religiósis cordi sit
páuperes evangelizáre,
infírmos curáre,
laborántibus subveníre,
Dóminum exorémus.

III. a) Pro univérsis religiósis:
ut eórum conversátio
futúri Regni
signum exsístat præclárum,
Dóminum exorémus.

b) Pro iis qui evangélica sectántur consília:
ut mútuæ dilectiónis præcéptum

in ipsis præfúlgeat,
ut sicut prístinis Iesu discípulis
eis cor unum sit et ánima una,
Dóminum exorémus.

c) Pro univérsis religiósis:
ut sicut quisque vocátus erit,
Ecclésiæ sanctitátem adáugeat
et regnum Dei stúdeat propagáre,
Dóminum exorémus.

IV. a) Pro his frátribus nostris,
qui hódie professióne religiósa
Deo impénsius se devovérunt:
ut eis assíduæ oratiónis,
álacris pæniténtiæ,
fervéntis apostolátus
amórem benígnus infúndat,
Dóminum exorémus.

b) Pro iis qui hódie divíno servítio
árctius mancipántur:
ut spíritum fratérnæ dilectiónis
et strénuæ erga omnes caritátis
in ipsis fovére dignétur,
Dóminum exorémus.

c) Pro iis qui hódie evangélica consília profiténtur:
ut religiósa consecrátio
illam adáugeat sanctitátem
ad quam eos baptísmum vocávit,
Dóminum exorémus.

d) Pro iis qui professióne religiósa
Christum préssius imitári conténdunt:
ut castitátem custodiéntes

Ecclésiæ fecunditátem osténdant;
paupertátem sectántes
egénis subvéniant;
obœdiéntiam præstántes
indóciles ad suave Redemptóris iugum addúcant,
Dóminum exorémus.

e) Pro univérsis Christi fidélibus:
ut ipsi, mundi lux et ferméntum efféci,
humánam societátem
virtútum fulgóre illúminent
et abscónditis rénovent précibus,
Dóminum exorémus.

f) Pro nobis ómnibus:
ut, divíni Magístri verba « Estóte perfécti »
fidéliter amplecténtes,
dignos sanctificatiónis fructus exhibeámus
et, mensúram plenitúdinis Christi tandem assecúti,
in cæléstem Ierúsalem congregémur,
Dóminum exorémus.

Precationis conclusio

142. a) In Missa primæ professionis:

Annue, Dómine, précibus pópuli tui,
et, intercedénte beáta Vírgine María, Ecclésiæ Matre,
super hos fámulos,
quos ad perféctam Christi sequélam benígnus vocásti,
divínum Spíritum abundánter effúnde,
ut quod temporáli pígnore promisérunt
perpétua devotióne confírment.
Per Christum Dóminum nostrum.

b) In Missa qua vota renovantur:

Sanctitátis auctor, Deus,
preces famíliæ tuæ cleménter exáudi,
et, deprecánte Ancílla tua Domináque nostra Virgo María,
super hos fámulos tuos
copiósam benedictiónem effúnde,
ut quod, te donánte, promisérunt,
te prosequénte, constánter adímpleant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

IV. Altera sollemnis Prex benedictionis seu consecrationis professorum

143. Deus, per quem Ecclésia tua sanctificáta viréscit,
te decet laus omnis creatúræ.
Tu, enim, témporum exórdio
lætábilem mundum creásti;
qui, cum Adæ peccáto collápsus iacéret,
novum cælum novámque tellúrem futúra promisísti.
Terram autem homínibus commisísti,
ut suo fecundárent labóre
et per eius percurréntes vias
ad cæléstem civitátem gressus dirígerent.
Fíliis autem tuis, quos sacris initiátos mystériis,
in sanctam congregásti Ecclésiam,
vária charísmatum dona distríbuis,
ut sint qui in casto connúbio tibi desérviant
quique núptiis propter regnum cælórum renúntient,
bona cuncta cum frátribus commúnicent
ac tanta ínvicem díligant caritáte,
ut, cor unum effécti,
societátis ætérnæ præstent imáginem.

Súpplices ergo rogámus:
de cælis emítte Paráclitum
super hos fámulos tuos
qui Christi verbis fide adhæsérunt constánti.
Eórum róbora mentes,
ad Evangélii doctrínam vitam confórma.
Férveat in eis, Dómine, mútua cáritas
hominúmque flagret stúdium,
ut signum exsístant maniféstum
te unum esse Deum verum
cunctósque hómines infiníto amóre dilígere.
Fac, Dómine, ut huius vitæ certámina
fórtiter sustinéndo
céntuplum iam nunc, quod promisísti, accípiant
palmámque tandem cónsequi mereántur ætérnam.
Per Christum Dóminum nostrum.

V. Altera Benedictionis formula in fine Missæ professionis perpetuæ

144. Celebrans:

Deus, bonárum inspirátor voluntátum,
vestra fóveat consília cordáque róboret,
ut, quæ promisístis, perseveránti servétis fide.

Omnes:

Amen.

Ipse concédat vobis
ut arctam viam, quam elegístis,
in gáudio Christi percurrátis,
ónera fratrum cum exsultatióne portántes.

Omnes:

Amen.

Cáritas Dei ex vobis famíliam effíciat
in nómine Dómini congregátam,
quæ Christi amóris reddat imáginem.

Omnes:

Amen.

Et vos omnes, qui his sacris adéstis,
benedícat omnípotens Deus
Pater, et Fílius ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes:

Amen.

PARS ALTERA

ORDO PROFESSIONIS RELIGIOSARUM

CAPUT I

NORMÆ AD INITIATIONIS VITÆ RELIGIOSÆ RITUM PERAGENDUM

1. Die quo novitiatus canonicus incipit ritum peragere præstat ad Dei gratiam impetrandam, qua finis peculiaris novitiatus attingatur.

2. Initiationis ritus ne intra Missam peragatur prohibetur.

3. Ritus sit admodum simplex, sobrius, sororum cœtui tantum servatus.

4. In ritus textibus omnia vitentur quæ novitiarum libertatem quodammodo minuere videantur aut verum novitiatus seu experimenti sensum obumbrent.

5. Ad hunc ritum peragendum aula capitularis vel alius similis locus convenienter deligitur. Si autem necessarium videtur, ritus in sacello peragi potest.

DESCRIPTIO RITUS

Initiationis ritus convenienter inseritur peculiari verbi Dei celebrationi, quæ naturam vitæ religiosæ et indolem Instituti illustret.

Ritus initiales

6. Ritus opportune incipit salutatione Antistitæ vel cantu psalmi aliusve apti hymni.

7. Deinde Antistita ex postulantibus quærit quid petant his vel similibus verbis:

Fíliæ (soróres) dilectíssimæ,
quid pétitis a nobis?

Postulantes omnes simul respondent his vel similibus verbis:

Ut conversatiónem vestram experiéntes,
a vobis probémur,
et ad perféctam Christi sequélam
in hac família N. admítti mereámur.

Antistita respondet:

Dóminus auxiliétur vobis.

Omnes:

Amen.

8. *Si placet, omissa interrogatione, postulatio fieri potest hoc modo: una ex postulantibus, pro omnibus, ad Antistitam et communitatem conversa dicit hæc verba:*

Misericórdia Dei compúlsæ,
huc vénimus ad conversatiónem experiéndam vestram;
docéte nos, rogámus, Christum crucifíxum sequi,
páuperes, obœdiéntes castásque vívere;
oratióni instáre, pæniténtiam exercére,
Ecclésiæ cunctísque homínibus deservíre,
vobíscum cor unum esse et ánimam unam.
Adiuváte nos ut Evangélii præcépta
omni vitæ hora explicémus;
Régulam vestram discámus
legémque fratérnæ dilectiónis servémus.

Vel similia dicit verba ex ipsarum postulantium cordibus ac mentibus prompta.

Antistita respondet his vel similibus verbis:

Mísericors Deus grátia vos fóveat sua
et divínus Magíster lumen præstet nobis.

Omnes:

Amen.

9. *Expleta interrogatione vel postulatione, Antistita dicit:*

Orémus.

Deus, sanctæ vocatiónis largítor,
famulárum tuárum *N. N.* supplicatiónes benígnus exáudi,
quæ, ut tibi perféctius desérviant,
nostræ cúpiunt aggregári famíliæ;

et concéde propítius,
ut commúnis vita
in mútuam convertátur dilectiónem.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Sacra verbi Dei celebratio

10. Tum leguntur sacrarum Scripturarum apti textus, congruentibus interiectis responsoriis (cf. nn. 98-152).

11. Quibus peractis, Antistita sororum cœtum et postulantes adloquitur de vitæ religiosæ natura atque Instituti indole vel aptum Regulæ capitulum legit.

Conclusio ritus

12. Ritus laudabiliter concluditur oratione universali seu fidelium et oratione dominica, ad quam adici potest apta prex, ex. gr.:

Exáudi nos, Deus, vocatiónis auctor et largítor,
et tríbue ut, una cum his soróribus nostris,
quæ Fílium tuum cúpiunt in religióne sectári,
supérnam inquirámus voluntátem
et tua de eis consília valeámus perfícere.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

13. Postea Antistita novitias nuper receptas Magistræ tradit easque una cum sodalibus fraterne salutat secundum familiæ religiosæ consuetudinem. Interea canitur aptus hymnus vel canticum laudis.

CAPUT II

RITUS PROFESSIONIS TEMPORALIS INTRA MISSAM PERAGENDUS

14. Ritus, qui hoc capite describitur, intra Missam peragitur; illæ tantum religiosæ quæ, novitiatu feliciter expleto, primam professionem emittunt, eo uti possunt (cf. Præn., n. 5). *

Benedictio habitus in vigilia professionis

15. Novitiis, quæ ad primam professionem admittuntur, pridie professionis habitus religionis, velo excepto, convenienter traditur.

16. Habitus, velis exceptis, benedicuntur a presbytero vel ab alio competenti ministro hac vel simili prece:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, qui Fílio tuo in casto Vírginis sinu
carnem induísti mortálem,
super has vestes copiósam benedictiónem effúnde;
et præsta ut hæ fámulæ tuæ,
eas induéntes in terris,
resurrectiónem præfigúrent futúram
ac beáta méreant immortalitáte vestíri.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Et, pro opportunitate, vestes asperguntur aqua benedicta.

* Quæ autem post novitiatum simplici promissioni aut aliis vinculis obligantur, peculiarem ritum pp. 95-108 descriptum, adhibebunt.

17. Hora constituta, Antistita sororum cœtum et novitias convocat et brevi sermone omnium mentes disponit ad professionis ritum die insequenti peragendum. Deinde singulis novitiis vestem religiosam tradit, velo excepto, qua indutæ illæ processioni introitali Missæ adsint.

18. Dicitur Missa liturgiæ diei respondens aut Missa ritualis in die primæ professionis religiosæ, iuxta rubricas (cf. Præn., nn. 9-11).

19. Professio religiosa de more fit ad sedem; opportuno presbyterii loco sedes paretur pro Antistita, sororum professionem receptura. Scamma pro religiosis professuris ita disponantur ut tota actio liturgica a fidelibus bene conspici possit.

20. Religiosæ legi clausuræ adstrictæ, attentis generalibus Ecclesiæ legibus et particularibus adiunctis, professionem temporalem emittere possunt in presbyterio.

21. Panis et vinum sacrandum, ea parentur copia, quæ sufficiat ministris, profitentibus earumque parentibus, propinquis, sodalibus. Ideoque si unus adhibetur calix congruentis sit capacitatis.

22. Præter ea quæ pro Missæ celebratione necessaria sunt, hæc parentur: a) Rituale professionis religiosæ; b) velamina, si familia religiosa in prima professione suis alumnis ea tradere statuerit (cf. Præn., n. 5); c) liber Regulæ vel Constitutionum ceteraque professionis insignia, quæ ex lege vel consuetudine sint tradenda.

Ritus introitus

23. Populo ac sororum conventu congregato omnibusque rite dispositis, incedit processio per ecclesiam ad altare, dum schola cum populo cantat introitum Missæ. Processio fit more solito, cui laudabilter intersunt professuræ, Antistita et Magistra comitantibus.

24. Cum ad presbyterium pervenerint, facta altari debita reverentia, omnes locis sibi designatis se disponunt; tum prosequitur Missa.

Liturgia verbi

25. In liturgia verbi omnia fiunt more solito, præter hæc:

a) lectiones vel e Missa diei vel e textibus, qui nn. 98-152 proponuntur, sumi possunt (cf. Præn., nn. 9-10);

b) Symbolum non dicitur, etiamsi rubricis liturgiæ diei præscribitur.

PROFESSIO RELIGIOSA

Appellatio vel postulatio

26. Dicto evangelio, Celebrans et populus sedent, professuræ vero stant. Tunc, si placet aut adiuncta expostulant, Diaconus vel novitiarum Magistra professuras nominatim vocat, quæ respondent:

Ecce, Dómine, vocásti me

vel alio modo, iuxta consuetudinem familiæ religiosæ vel loci.

27. Deinde Celebrans his vel similibus verbis professuras interrogat, dicens:

Fíliæ (soróres) dilectíssimæ,
quid pétitis a Deo
et ab Ecclésia sancta eius?

Professuræ omnes simul respondent his vel similibus verbis:

Misericórdiam Dómini
et huius famíliæ N. societátem.

Celebrans et omnes familiæ religiosæ sodales respondent:

Deo grátias

vel alio apto modo.

28. Si placet, omissa appellatione atque Celebrantis interrogatione, fieri potest postulatio, ex. gr. hoc modo: una ex novitiis professuris, stans, omnium nomine, ad Antistitam conversa, hæc vel similia dicit verba:

Nos N.N., cum misericórdia Dei
vestram novérimus Régulam
et fratérne vobíscum probatiónis degérimus tempus,
a te, Mater (Soror), humíliter póscimus
ut Deo eiúsque Regno nos devoveámus,
sanctam professiónem in hac emitténtes família N.

Antistita et familiæ religiosæ sodales respondent:

Deo grátias

vel alio apto modo.

Homilia seu allocutio

29. Tunc professuræ quoque sedent et fit homilia seu allocutio in qua opportune illustrantur cum lectiones biblicæ tum professionis religiosæ donum ac munus ad electarum sanctificationem atque Ecclesiæ totiusque humanæ familiæ bonum.

Interrogationes

30. Expleto sermone, professuræ surgunt; Celebrans eas interrogat num sint paratæ ad Deo se devovendas et perfectam sectandam caritatem secundum Regulam vel Constitutiones familiæ religiosæ. Quæstiones quæ hic proponuntur commutari aut ex parte omitti possunt pro uniuscuiusque familiæ religiosæ indole ac natura.

Celebrans interrogat:

Fíliæ (soróres) dilectíssimæ,
quas aqua et Spíritus Deo sacrávit,
vultis novo professiónis religiósæ título
árctius Ipsi coniúngi?

Professuræ omnes simul respondent:

Volo.

Celebrans:

Vultis, ad Christum perfécte sequéndum,
castitátem propter regnum cælórum custodíre,
voluntáriam paupertátem amplécti,
obœdiéntiæ munus offérre?

Professuræ:

Volo.

31. Tunc Celebrans earum voluntatem confirmat his vel similibus verbis:

Quod Deus omnípotens
concédat vobis per grátiam suam.

Omnes:

Amen.

Divinæ gratiæ expostulatio

32. Deinde Celebrans divinum auxilium exposcit, dicens:

Orémus

Et, pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc:

Réspice, quǽsumus, Dómine,
super has fámulas tuas,
quæ hódie coram Ecclésia,
evangélica profiténtes consília,
Fílium tuum préssius imitári conténdunt;
et miserátus concéde
ut eárum conversátio
Nomen tuum gloríficet
et ad géntium salútem profíciat.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Professio

33. Oratione expleta, duæ sorores iam professæ, pro familiæ religiosæ consuetudine, ad sedem Antistitæ accedunt et, stantes, speciali testium munere funguntur. Professuræ singulæ ad Antistitam accedunt et legunt professionis formulam.

Si autem professuræ complures sunt, professionis formula ab omnibus simul recitari potest, a singulis vero concludenda est verbis « Sic promítto ... » vel similibus, quæ singularum voluntatem aperte declarent.

Deinde ad locum suum redeunt ibique stant.

Insignium professionis traditio

34. Quibus peractis, si tradendum est velamen, Celebrans, adiuvantibus Antistita et novitiarum Magistra, singulas velamine cooperit, dicens, ex. gr.:

Accipe velámen sacrum,
quo cognoscáris
Christo Dómino tota esse súbdita
et Ecclésiæ servítio dicáta.

Professa respondet:

Amen.

35. Deinde, ubi mos est, Celebrans ei tradit librum Regulæ vel Constitutionum hac vel simili formula:

Accipe huius famíliæ Régulam
et tota vita éxhibe
quod sédula didicísti.

Professa respondet:

Amen.

Ac, recepto libro, ad locum suum redit.

36. Postquam prima vel secunda professa velamen et Regulam recepit, schola intonat antiphonam:

Quæsívi quem díligit ánima mea

cum Psalmo 44 vel alium congruentem cantum. Altero quoque versu repetitur antiphona; in fine psalmi non dicitur Glória Patri sed antiphona. Si contingit autem ut insignium traditio compleatur antequam psalmus integer decantatus sit, psalmus interrumpitur et repetitur antiphona.

37. Si secundum leges vel consuetudines familiæ religiosæ alia professionis insignia tradenda sunt, hic tradantur silentio vel apta formula. In hac tamen re, decora sobrietas servanda est.

38. Altera tradendi professionis insignia ratio describitur nn. 153-155.

Conclusio professionis ritus

39. Ritus apte concluditur recitatione orationis universalis seu fidelium, ad quam adhiberi potest formula quæ nn. 156-158 proponitur.

Liturgia eucharistica

40. Dum cantus ad offertorium canitur, nonnullæ religiosæ nuper professæ ad altare opportune afferunt panem, vinum, aquam pro Sacrificio eucharistico.

41. Dicto Pax Dómini, Celebrans, modo convenienti, pacem dat religiosis nuper professis necnon omnibus adstantibus.

42. Postquam Celebrans Corpus et Sanguinem Domini sumpsit, religiosæ nuper professæ ad altare accedunt communionem recepturæ, quæ sub utraque specie eis distribui potest. Post eas parentes, propinqui, sodales eodem modo Eucharistiam sumere possunt.

CAPUT III

RITUS PROFESSIONIS PERPETUÆ INTRA MISSAM PERAGENDUS

43. Ad professionis ritum peragendum, quo religiosa Deo in perpetuum mancipatur, laudabiliter eligitur dies dominica aut sollemnitas Domino, beatæ Mariæ Virgini vel Sanctis qui in vita religiosa eminuerunt, dicata.

44. Ritus professionis perpetuæ peragitur separatim a reliquis professionis ritibus (cf. Præn., n. 8).

45. Fideles de die atque hora tempestive certiores fiant, quo frequentiores accurrere possint.

46. Dicitur Missa liturgiæ diei respondens aut Missa ritualis in die professionis perpetuæ, iuxta rubricas (cf. Præn., nn. 9-11).

47. Ubi fieri potest nec utilitas Christi fidelium singularem celebrationem omnium sacerdotum præsentium postulat, Missa concelebrata præferatur.

48. Professio de more fit ad sedem. Opportuno presbyterii loco sedes paretur Antistitæ, sororum professionem recepturæ; scamna pro religiosis professuris ita disponantur ut tota actio liturgica a fidelibus bene conspici possit.

49. Religiosæ quoque legi clausuræ adstrictæ professionem perpetuam in presbyterio laudabiliter emittunt.

50. De more professio fit in ecclesia familiæ religiosæ. Si autem ob rationes pastorales aut ad vitæ religiosæ laudem, populi Dei ædificationem concursumque fovendum opportunum videtur, ritus in cathedrali vel parœciali aliave insigni ecclesia congruenter persolvitur.

51. Item sicubi duo vel plures familiæ religiosæ exoptant professionem in eodem Sacrificio eucharistico emittere, professio opportune in cathedrali vel parœciali aliave insigni ecclesia fit, Episcopo præsidente. Ante suam quæque Antistitam professura vota pronuntiabit.

Moniales tamen in hac re leges suæ clausuræ accurate observent.

52. Ut ritus natura postulat, tota actio liturgica celebretur congrua sollemnitate, at caveatur sumptuositas quæ paupertatem religiosam dedeceat.

53. Panis et vinum sacrandum, ea parentur copia, quæ sufficiat ministris, profitentibus earumque parentibus, propinquis, sodalibus. Ideoque si unus adhibetur calix congruentis sit capacitatis.

54. Præter ea quæ pro Missæ celebratione necessaria sunt, hæc parentur: a) Rituale professionis religiosæ; b) anuli ceteraque professionis religiosæ insignia, si secundum leges vel consuetudines familiæ religiosæ tradenda sunt.

RITUS INTROITUS

55. Populo ac sororum conventu congregato omnibusque rite dispositis, incedit processio per ecclesiam ad altare, dum schola cum populo cantat introitum Missæ. Processio fit more solito, cui laudabiliter intersunt professuræ, Antistita et Magistra comitantibus.

56. Cum ad presbyterium pervenerint, facta altari debita reverentia, omnes locis sibi designatis se disponunt; tum prosequitur Missa.

LITURGIA VERBI

57. In liturgia verbi omnia fiunt more solito, præter hæc:

a) lectiones vel e Missa diei vel e textibus, qui nn. 98-152 proponuntur, sumi possunt (cf. Præn., nn. 9-10);

b) Symbolum non dicitur, etiamsi rubricis liturgiæ diei præscribitur;

c) item oratio fidelium omittitur.

PROFESSIO RELIGIOSA

Appellatio vel postulatio

58. Dicto evangelio, Celebrans et populus sedent; professuræ vero stant. Tunc, si placet aut adiuncta expostulant, Diaconus vel Magistra nominatim professuras vocat, quæ respondent:

Ecce, Dómine, vocásti me

vel alio modo, secundum consuetudinem familiæ religiosæ vel loci.

59. Deinde Celebrans his vel similibus verbis professuras interrogat:

Fíliæ (soróres) dilectíssimæ,
quid pétitis a Dómino
et ab Ecclésia eius sancta?

Professuræ omnes simul respóndent his vel similibus verbis:

Ut Christum Sponsum sectántes,
in hac evangélica família
usque ad mortem perseveráre valeámus.

Celebrans, Antistita omnesque familiæ religiosæ sodales respondent:

Deo grátias

vel alio apto modo.

60. Si placet, omissa appellatione atque Celebrantis interrogatione, fieri potest postulatio, ex. gr. hoc modo: una ex professuris, stans, pro omnibus, ad Antistitam conversa, hæc vel similia dicit verba:

Nos N. N., çum misericórdia Dei
árduam et suávem vitam Ipsi perfécte dicátam
in vestra novérimus communitáte,
a te, Mater (Soror), humíliter póscimus,
ut professiónem perpétuam
in hac emittámus família N.,
ad Dei laudem et Ecclésiæ servítium.

Antistita et omnes familiæ religiosæ sodales respondent:

Deo grátias

vel alio apto modo.

Homilia seu allocutio

61. Tunc professuræ quoque sedent et fit homilia seu allocutio, in qua opportune illustrantur cum lectiones biblicæ tum professionis religiosæ donum ac munus ad electarum sanctificationem atque Ecclesiæ totiusque humanæ familiæ bonum.

Interrogationes

62. Expleto sermone, professuræ surgunt et Celebrans eas interrogat num sint paratæ ad Deo se devovendas et perfectam sectandam caritatem, secundum Regulam vel Constitutiones religiosæ familiæ. Quæstiones quæ hic ponuntur commutari aut ex parte omitti possunt pro uniuscuiusque familiæ religiosæ indole ac natura.

Celebrans interrogat dicens:

Fíliæ (soróres) dilectíssimæ, iam per baptísmum
peccáto mórtuæ ac Dómino sacrátæ,
vultis, perpétuæ professiónis título,
intímius Deo consecrári?

Professuræ omnes simul respondent:

Volo.

Celebrans:

Vultis, Dei adiuvánte grátia,
eándem vitam perféctæ castitátis,
obœdiéntiæ et paupertátis,
quam Christus Dóminus eiúsque Virgo Mater sibi elegérunt
ampléctì et in perpétuum serváre?

Professuræ:

Volo.

Celebrans:

Vultis, Evangélium studióse sectántes
ac vestræ famíliæ Régulam custodiéntes,
ad perféctam caritátem erga Deum et próximum
constánter firmitérque conténdere?

Professuræ:

Volo.

Celebrans:

Vultis, Sancti Spíritus subveniénte múnere,
in pópuli Dei servítium
totam vitam generóse impéndere?

Professuræ:

Volo.

63. Pro familiis religiosis vitæ contemplativæ integre addictis convenienter additur:

Celebrans:

Vultis in solitúdine ac siléntio
in assídua prece et álacri pæniténtia,
in húmili labóre sanctísque opéribus
soli Deo vacáre?

Professuræ:

Volo.

64. Tunc Celebrans eorum voluntatem confirmat, dicens hæc vel similia verba:

Qui incépit in vobis opus bonum,
ipse perfíciat in diem Christi Iesu.

Omnes:

Amen.

Supplicatio litanica

65. Deinde omnes surgunt. Celebrans stans, manibus iunctis, dicit conversus ad populum:

Fratres dilectíssimi,
ad Deum Patrem,
bonórum ómnium largitórem,
supplex nostra dirigátur orátio,
ut propósitum, quod in his fámulis suis
benígnus suscitávit,
misericors confírmet.

66. Diaconus admonet:

Flectámus génua.

Mox Celebrans, ministri, professuræ populusque genua flectunt. Consuetudo autem ut professuræ se prosternant, sicubi viget, servari potest.

67. Tunc cantores litanias ritus professionis religiosæ canunt, omnibus respondentibus. In his Litaniis alterutra petitio, quæ eadem littera signatur, omitti potest. Apto autem loco, inseri possunt eorum Sanctorum invocationes, qui a familia religiosa vel a populo peculiari veneratione coluntur, necnon, pro opportunitate, aliæ addi petitiones.

Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.

Sancta María, Mater Dei,	ora pro nobis
Sancte Míchaël,	ora pro nobis
Sancti Angeli Dei,	oráte pro nobis
Sancte Ioánnes Baptísta,	ora pro nobis
Sancte Ioseph,	ora pro nobis
Sancti Petre et Paule,	oráte pro nobis
Sancte Ioánnes,	ora pro nobis
Sancta María Magdaléna,	ora pro nobis
Sancti Stéphane et Lauréntì,	oráte pro nobis
Sancta Agnes,	ora pro nobis
Sancte Basíli,	ora pro nobis
Sancte Augustíne,	ora pro nobis
Sancte Benedícte,	ora pro nobis
Sancti Francísce et Domínice,	oráte pro nobis
Sancta Macrína,	ora pro nobis
Sancta Scholástica,	ora pro nobis
Sanctae Clara et Catharína,	oráte pro nobis
Sancta Terésia de Avila,	ora pro nobis
Sancta Rosa de Lima,	ora pro nobis

Sancta Ioánna Francísca de Chantal, ora pro nobis
Sancta Ludovíca de Marillac, ora pro nobis
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, oráte pro nobis
Propítius esto, líbera nos, Dómine
Ab omni malo, líbera nos, Dómine
Ab omni peccáto, líbera nos, Dómine
A morte perpétua, líbera nos, Dómine
Per incarnatiónem tuam, líbera nos, Dómine
Per mortem et resurrectiónem tuam, líbera nos, Dómine
Per effusiónem Spíritus Sancti, líbera nos, Dómine
Peccatóres, te rogámus, audi nos

a) Ut Ecclésiæ vitam,
famulárum tuárum oblatióne et apostolátu,
uberiórem præstáre dignéris, te rogámus, audi nos

a) Ut in fámulo tuo Papa nostro N.
omnibúsque Ecclésiæ adminístris
Sancti Spíritus dona
in dies adaugére dignéris, te rogámus, audi nos

b) Ut religiosórum vitam et óperam
ad humánæ societátis proféctum
ordináre dignéris, te rogámus, audi nos

b) Ut univérsos hómines
ad vitæ christiánæ plenitúdinem
dúcere dignéris, te rogámus, audi nos

c) Ut in ómnibus famíliis tibi dicátis
Christi caritátem et Fundatórum spíritum
conserváre et augére dignéris, te rogámus, audi nos

c) Ut omnes qui evangélica profiténtur consília
óperi Redemptiónis plénius adsociáre dignéris, te rogámus, audi nos

d) Ut harum famulárum paréntes,
pro múnere quod tibi obtulérunt
cæléstibus donis locupletáre dignéris, te rogámus, audi nos

e) Ut has fámulas tuas
Christo, primogénito in multis frátribus,
in dies conformáre dignéris, te rogámus, audi nos

e) Ut his fámulis tuis
perseverántiæ virtútem donáre dignéris, te rogámus, audi nos

e) Ut has fámulas tuas, sorores nostras,
benedícere
et sanctificáre
et consecráre dignéris, te rogámus, audi nos
Iesu, Fili Dei vivi, te rogámus, audi nos
Christe, audi nos.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Christe, exáudi nos.

68. Deinde Celebrans tantum surgit et, iunctis manibus, dicit:

Annue, quǽsumus, Dómine,
précibus pópuli supplicántis
et cælésti grátia
famulárum tuárum corda dispóne,
ut sacránda tibi péctora
Sancti Spíritus ignis
ab omni culpárum labe puríficet
et caritátis ardóre veheménter accéndat.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Diaconus:

Leváte.

Et omnes surgunt.

Professio

69. Supplicatione litanica expleta, duæ sorores iam professæ, pro familiæ religiosæ consuetudine, ad sedem Antistitæ accedunt et, stantes, speciali testium munere funguntur. Professuræ singulæ accedunt ad Antistitam et legunt professionis formulam, quam sua ipsarum manu opportune antea scripserunt.

70. Deinde professa laudabiliter ad altare se confert atque in illo schedulam professionis deponit; tum, si commode fieri potest, professionis instrumenta signat super ipso altari. Quo facto, redit ad locum sibi adsignatum.

71. Quibus expletis, professæ, stantes, canere possunt, pro familiæ religiosæ moribus, antiphonam vel alium cantum, qui modo lyrico sensum donationis et gaudii exprimat, ex. gr.:

Súscipe me, Dómine,
secúndum elóquium tuum et vivam;
et non confúndas me
ab exspectatióne mea.

Sollemnis benedictio seu consecratio professæ

72. Tum religiosæ nuper professæ genua flectunt et Celebrans, extensis manibus ante pectus, dicit benedictionis precem Deus, sancti propósiti auctor et custos, in qua verba inter uncos posita, pro opportunitate, omittere potest, vel precem Dómine Deus, mundi cónditor hominúmque Pater, quæ n. 159 invenitur.

Deus, sancti propósiti auctor et custos,
débitis nos decet te celebráre præcóniis,
qui per Verbum tuum in Spíritu Sancto
humánam famíliam ineffábili amóre creásti
ac tanta caritáte divíno admisísti consórtio
ut imáginis tuæ insígnibus

vitǽque perpétuæ ornaméntis
tamquam sponsam ditáres.
Cum vero diabólica fraude decépta
fídei vínculum fregit divínæ
a nuptiáli non exclusísti pactióne,
sed ætérno in Noë, servum tuum, impúlsus amóre
prístinum fœdus misércors instaurásti.
(Dein ex fidélis Abrahæ sémine
stirpem victúram stellárum númerum elegísti
et legítimas fœ́deris tábulas
Móyse minístro firmásti.
In qua tuæ dilectiónis plebe
sanctæ per sǽcula mulíeres floruérunt,
pietáte ac fortitúdine insígnes,
iustítia atque fide præcláræ).
Cum demum venit témporum plenitúdo
de radíce Iesse sacram Vírginem suscitásti,
quæ Spíritu superveniénte Paráclito
ac tua obumbránte virtúte,
immaculáto partu mundi Redempórem effúnderet.
Ille pauper, húmilis, obœ́diens efféctus,
causa et exémplar totíus éxstitit sanctitátis;
Ecclésiam Sponsam cóndidit
ac tanto diléxit amóre ut pro ea seípsum tráderet
ac suo sanctificáret cruóre.
Tu autem, Dómine, providénti sanxísti consílio
ut eius vestígia fíliæ sequeréntur innúmeræ,
quæ Christi discípulæ factæ
ad sponsárum dignitátem próvehi mereréntur.
(Quarum admirábili varietáte
sancta floret Ecclésia
tamquam Sponsa ornáta monílibus,
Regína circumamícta virtúte,
Mater prole exsúltans).

Súpplices ergo, Pater, rogámus ac pétimus:
super has fílias tuas ignem emítte Parácliti,
ut flammam alat propósiti
quam in eárum córdibus suscitávit.
Renídeat in eis, Dómine,
baptísmatis nitor vitǽque innocéntia.
Tibi caritáte fervénter adhǽreant,
sacris religiónis vínculis confortátæ.
Unici Sponsi Christi
consórtium servent fidéles;
Ecclésiam Matrem strénua díligant caritáte
cunctósque hómines supérno amplectántur amóre,
quos de beáta spe
cæléstium bonórum commóneant.
Dómine, sancte Pater,
famulárum tuárum miséricors dírige gressus
et iter defénde benígnus;
quæ cum demum pervénerint
ad summi Regis tribúnal,
non Iúdicis verba pavéscant
sed Sponsi vocem percípiant
suáviter ad núptias cæléstes vocántis.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Insignium professionis traditio

73. Benedictione absoluta, Celebrans et populus sedent; si tradendi sunt anuli, religiosæ nuper professæ surgunt et accedunt ad Celebrantem, qui unicuique anulum tradit, dicens, ex. gr.:

Accipe ánulum,
quæ es sponsa Regis ætérni:
fidem Sponso tuo intáctam serva

ut ad ætérni gáudii núptias
mereáris admítti.

Professa respondet:

Amen.

Deinde ad locum suum revertit.

74. Si vero religiosæ nuper professæ sunt plures, aliave iusta de causa, Celebrans formulam qua anulus traditur, semel pro omnibus dicere potest:

Accípite ánulum,
quæ estis sponsæ Regis ætérni:
Sponso fidem intáctam serváte
ut ad ætérni gáudii núptias
admítti mereámini.

Professæ omnes simul respondent:

Amen

et accedunt ad Celebrantem, anulum recepturæ.

75. Interea schola, una cum populo, cantat hanc vel aliam aptam antiphonam:

Ipsi sum desponsáta,
qui Fílius est Patris ætérni,
proles Vírginis Matris
totiúsque mundi Salvátor

cum Psalmo 44, vel alium congruentem cantum. Altero quoque versu repetitur antiphona; in fine psalmi non dicitur Glória Patri sed antiphona. Si contingit autem ut insignium traditio compleatur antequam psalmus integer decantatus sit, psalmus interrumpitur et repetitur antiphona.

76. Si secundum leges vel consuetudines familiæ religiosæ alia professionis insignia sunt tradenda, hic tradantur, silentio vel apta formula. In hac tamen re, decora sobrietas servanda est.

77. His expletis, ubi mos viget vel opportunum videtur, significari potest sorores nuper professas in perpetuum familiæ religiosæ esse aggregatas vel aptis verbis ab Antistita prolatis vel osculo pacis, ex. gr.:

a) Antistita hæc vel similia verba profert:

Confirmámus vobis
partem et societátem huius famíliæ N.
ut ómnia commúnia posthac nobíscum habeátis.

Quibus, pro opportunitate, Celebrans addit:

Vos autem sanctum ministérium
ab Ecclésia commíssum
eiúsque nómine exercéndum,
fidéliter persólvite.

Et omnes illius familiæ religiosæ sodales assentiunt dicentes:

Amen.

b) Vel, his omissis, Celebrans pacem dat. Antistita et sodales fraternam dilectionem religiosis nuper professis significant osculo pacis vel alio modo, secundum familiæ religiosæ consuetudinem.

Quam diléсta tabernácula tua, Dómine virtútum!
concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini

cum Psalmo 83, vel alium congruentem cantum.

Pax, si hic datur, ante communionem omittitur.

78. Quibus expletis, religiosæ nuper professæ ad loca sibi designata revertuntur. Tum prosequitur Missa.

LITURGIA EUCHARISTICA

79. Dum cantus ad offertorium canitur, nonnullæ religiosæ nuper professæ ad altare opportune afferunt panem, vinum, aquam pro Sacrificio eucharistico.

80. In Precibus eucharisticis professarum oblatio secundum has formulas opportune commemoratur:

a) in Prece eucharistica I dicitur « Hanc ígitur » proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et famulárum tuárum,
quam tibi in die eárum consecratiónis offérimus,
quǽsumus, Dómine,

placátus áccipe et propitiátus sanctífica;
ut quæ, te largiénte,
árctius se hódie Fílio tuo sociárunt,
eídem in fine témporum glorióse adveniénti
iucundánter occúrrant.
(Per Christum Dóminum nostrum).

b) in intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba « ... univérso clero » additur:

Recordáre quoque, Dómine, istárum sorórum,
quæ ómnia propter te reliquérunt
ut te in ómnibus invenírent
et, sui oblítæ, cunctórum prospícerent necessitátibus.

c) in intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba « ... pópulo acquisitiónis tuæ » additur:

Confortáre quoque, Dómine,
in sancto propósito dignéris
has fámulas tuas,
quæ pia devotióne Christum tuum student sectári,
evangélicæ vitæ atque fratérnæ dilectiónis
testimónium præbéntes.

d) intercessionibus Precis eucharisticæ IV, mentio professarum inseri potest hoc modo:

... sed et totíus cleri
et istárum sorórum,
quæ sacro religiónis pígnore
hódie tibi perpétuo se consecrárunt,
et offeréntium,
et circum astántium, ...

81. Si osculum pacis datum non est (cf. n. 77), nunc Celebrans dat convenienti modo religiosis nuper professis omnibusque adstantibus.

82. Postquam Celebrans Corpus et Sanguinem Domini sumpsit, religiosæ nuper professæ ad altare accedunt communionem recepturæ, quæ sub utraque specie eis distribui potest. Post eas, parentes, propinqui, sodales eodem modo Eucharistiam sumere possunt.

Dimissio

83. Oratione post communionem expleta, religiosæ nuper Deo sacratæ ante altare sistunt et Celebrans, ad eas conversus, dicere potest:

Deus, sancti consílii inspirátor et efféctor,
sua vos constánter tueátur grátia,
ut vestræ vocatiónis múnera
fidéli ánimo persolvátis.

Omnes:

Amen.

Ipse divínæ vos fáciat caritátis
apud omnes gentes testimónium et signum.

Omnes:

Amen.

Et víncula, quibus Christo
vos néxuit in terris,
in cælis benígnus perénnet.

Omnes:

Amen.

Altera benedictionis formula n. 160.

84. Denique universum populum benedicit:

Et vos omnes, qui his sacris adéstis,
benedícat omnípotens Deus
Pater, et Fílius ✠, et Spíritus Sanctus.

Omnes:

Amen.

CAPUT IV

RITUS RENOVATIONIS VOTORUM INTRA MISSAM PERAGENDUS

85. Votorum renovatio, quæ vel ex lege generali Ecclesiæ vel ex peculiari Constitutionum præscripto fit, si familiæ religiosæ opportunum videtur, intra Missam peragi potest.

86. Ritus renovationis votorum maxima sobrietate peragatur, præsertim si vota secundum Constitutiones Instituti religiosi sæpius vel quotannis renovantur.

87. Dicitur Missa liturgiæ diei respondens aut Missa ritualis in die renovationis votorum, iuxta rubricas (cf. Præn., nn. 9-10).

88. Renovatio votorum de more fit ad sedem. Opportuno presbyterii loco sedes paretur pro Antistita, sororum professionem receptura.

89. Religiosæ, quæ professionem renovant, communionem sub utraque specie sumere possunt. Ideoque si unus adhibetur calix congruentis sit capacitatis.

Liturgia verbi

90. In liturgia verbi omnia fiunt more solito, præter hæc:

a) lectiones vel e Missa diei vel e textibus, qui nn. 98-152 proponuntur, sumi possunt (cf. Præn., nn. 9-10);

b) Symbolum non dicitur, etiamsi rubricis liturgiæ diei præscribitur.

91. Post evangelium fit homilia, in qua cum lectiones sacræ Scripturæ tum vis et virtus vitæ religiosæ commemorantur.

VOTORUM RENOVATIO

Divinæ gratiæ expostulatio

92. Homilia expleta, Celebrans divinum auxilium exposcit, dicens, ex. gr.:

Orémus Deum Patrem,
perseverántis consílii largitórem,
pro his fámulis eius,
quæ hódie coram Ecclésia
vota sua renováre conténdunt.

Omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Deinde Celebrans dicit:

Réspice, quǽsumus, Dómine,
super has fámulas tuas,
quæ ad Fílii tui préssius sectánda vestígia
providénti vocásti consílio;
et miserátus concéde
ut iter amóris tui,
quod álacres sunt aggréssæ,
perseveránti caritáte confíciant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:
Amen.

Renovatio professionis

93. Oratione expleta, duæ sorores iam professæ, pro familiæ religiosæ consuetudine, stantes prope Antistitam, speciali testium munere funguntur.

Professuræ singulæ accedunt ad Antistitam et legunt professionis formulam. Si autem professuræ complures sunt, professionis formula ab omnibus simul recitari potest, a singulis vero concludenda est verbis « Sic promítto ... » vel similibus, quæ singularum voluntatem aperte declarent.

Sicubi, secundum Instituti Constitutiones, professio ab omnibus quotannis renovanda est, præstat ut sorores cum Antistita, omnes simul, professionis formulam recitent.

Conclusio ritus renovationis votorum

94. Ritus apte concluditur recitatione orationis universalis seu fidelium, ad quam adhiberi potest formula quæ nn. 156-158 proponitur.

Liturgia eucharistica

95. Dum cantus ad offertorium canitur, nonnullæ religiosæ quæ vota nuper renovarunt ad altare opportune afferunt panem, vinum, aquam pro Sacrificio eucharistico.

96. Celebrans, dicto Pax Dómini, modo convenienti, pacem dat religiosis, quæ nuper professionem renovarunt, necnon omnibus adstantibus.

97. Postquam Celebrans Corpus et Sanguinem sumpsit, religiosæ nuper professæ ad altare accedunt, communionem sub utraque specie recepturæ.

CAPUT V

ALII TEXTUS IN PROFESSIONIS RELIGIOSARUM RITIBUS ADHIBENDI

I. Lectiones Biblicæ

Lectiones e Vetere Testamento

98. Gen 12, 1-4 a: « Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et veni ».
In diebus illis: Dixit Dominus ad Abram ... 4 usque ad Dominus.

99. 1 Sam 3, 1-10: « Loquere, Domine, quia audit servus tuus ».
In diebus illis: Puer Samuel ministrabat Domino ...

100. 1 Reg 19, 4-9 a. 11-15 a: « Sta in monte coram Domino ».
In diebus illis: Perrexit Elias in desertum ... 9 usque ad in spelunca. 15 usque ad in Damascum.

101. 1 Reg 19, 16 b. 19-21: « Consurgens Eliseus abiit et secutus est Eliam ».
In diebus illis: Dixit Dominus ad Eliam: Eliseum, filium Saphat ...

102. Cant 2, 8-14: « Surge, amica mea, et veni ».
Vox dilecti mei ...

103. Cant 8, 6-7: « Fortis est ut mors dilectio ».
Pone me ut signaculum ...

104. Is 61, 9-11: « Gaudens gaudebo in Domino ».
Scient in gentibus semen populi mei ...

105. Os 2, 14. 19-20 (Hebr 16, 21-22): « Sponsabo te mihi in sempiternum ».
Hæc dicit Dominus: Ecce ego lactabo eam ...
Versus 14 interpretari debet secundum hebraicam veritatem.

Lectiones e Novo Testamento

106. Act 2, 42-47: « Omnes qui credebant erant pariter, et habebant omnia communia ».
Erant perseverantes in doctrina apostolorum ...

107. Act 4, 32-35: « Cor unum et anima una ».
Multitudinis credentium erat cor unum ...

108. Rom 6, 3-11: « In novitate vitæ ambulemus ».
Fratres: Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu ...

109. Rom 12, 1-13: « Exhibete corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem ».
Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei ...

110. 1 Cor 1, 22-31: « Verbum crucis pereuntibus stultitia est; nobis, Dei virtus est ».
Fratres: Iudæi signa petunt ...

111. 1 Cor 7, 25-35: « Virgo cogitat quæ Domini sunt ».
Fratres: De virginibus præceptum Domini non habeo ...

112. Eph 1, 3-14: « Elegit nos Deus in Christo ut essemus sancti et immaculati in caritate ».
Fratres: Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi ...

113. Phil 2, 1-4: « Idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes ».
Fratres: Si qua consolatio in Christo ...

114. Phil 3, 8-14: « Omnia detrimentum feci, ut Christum lucrifaciam ».
Fratres: Verumtamen existimo omnia ...

115. Col 3, 1-4: « Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram ».
Fratres: Si consurrexistis cum Christo ...

116. Col 3, 12-17: « Super omnia caritatem habete, quod est vinculum perfectionis ».
Fratres: Induite vos sicut electi Dei ...

117. 1 Thess 4, 1-3 a. 7-12: « Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra ».
Fratres, rogamus vos ... 3 usque ad sanctificatio vestra.

118. 1 Petr 1, 3-9: « Cum Iesum Christum non videritis, diligitis ».
Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi ...

119. 1 Ioan 4, 7-16: « Si diligamus invicem, Deus in nobis manet ».
Carissimi, diligamus nos invicem ...

120. Apoc 3, 14 b. 20-22: « Cenabo cum illo et ipse mecum ».
Hæc dicit Amen ...

121. Apoc 22, 12-14. 16-17. 20: « Veni, Domine Iesu! ».
Ego, Ioannes, audivi vocem dicentem mihi: Ecce venio cito ...

Psalmi Responsorii

122. Ps 23, 1-2, 3-4 ab, 5-6
℟. (6): Hæc est generatio quærentium faciem tuam, Domine.

123. Ps 26, 1, 4, 5, 8 b-9 abc, 9 d et 11
℟. (8 b): Faciem tuam, Domine, quæro.

124. Ps 32, 2-3, 4-5, 11-12, 13-14, 18-19, 20-21
℟. (12 b): Beatus populus quem elegit Dominus in hereditatem suam.

125. Ps 33, 2-3, 4-5, 6-7, 8-9
vel 10-11, 12-13, 14-15, 17 et 19
℟. (2 a): Benedicam Dominum in omni tempore.
vel (9 a): Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.

126. Ps 39, 2 et 4 ab, 7-8 a, 8 b-9, 10, 12
℟. (8 a et 9 a): Ecce venio, Domine, ut faciam voluntatem tuam.

127. Ps 44, 11-12, 14-15, 16-17
℟. (Mt 25, 6): Ecce sponsus venit: exite obviam Christo Domino.

128. Ps 62, 2, 3-4, 5-6, 8-9
℟. (2 b): Sitit in te anima mea, Domine, Deus meus.

129. Ps 83, 3, 4, 5-6 a et 8 a, 11, 12
℟. (2): Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!

130. Ps 99, 2, 3, 4, 5
℟. (2 c): Introite in conspectu Domini, in exsultatione.

Alleluia et Versus ante Evangelium

131. Ps 132, 1: Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum!

132. Mt 11, 25: Benedictus es, Pater, Domine cæli et terræ, quia mysteria regni parvulis revelasti.

133. Ioan 13, 34: Mandatum novum do vobis, dicit Dominus, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.

134. Ioan 15, 5: Ego sum vitis, vos palmites, dicit Dominus; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum.

135. 2 Cor 8, 9: Iesus Christus egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.

136. Gal 6, 14: Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

137. Phil 3, 8-9: Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam et inveniar in illo.

EVANGELIA

138. Mt 11, 25-30: « Abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis ».
In illo tempore: Respondens Iesus dixit ...

139. Mt 16, 24-27: « Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis ...

140. Mt 19, 3-12: « Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum ».
In illo tempore: Accesserunt ad Iesum pharisæi ...

141. Mt 19, 16-26: « Si vis perfectus esse, vende quæ habes et sequere me ».
In illo tempore: Ecce unus accedens ad Iesum ait illi ...

142. Mt 25, 1-13: « Ecce sponsus venit: exite obviam ei ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cælorum decem virginibus ...

143. Mc 3, 31-35: « Qui fecerit voluntatem Dei, hic frater meus et soror mea et mater est ».
In illo tempore: Veniunt mater Iesu et fratres ...

144. Mc 10, 24 b-30: « Ecce nos dimisimus omnia et secuti sumus te ».
In illo tempore: Ait Iesus discipulis suis: Filioli ...

145. Lc 1, 26-38: « Ecce ancilla Domini ».
In illo tempore: Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ ..

146. Lc 9, 57-62: « Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei ».
In illo tempore: Ambulantibus Iesu et discipulis suis in via ...

147. Lc 10, 38-42: « Martha excepit illum in domum suam. Maria optimam partem elegit ».

In illo tempore: Intravit Iesus in quoddam castellum ...

148. Lc 11, 27-28: « Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud ».

In illo tempore: Extollens vocem quædam mulier ...

149. Ioan 12, 24-26: « Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum affert ».

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis ...

150. Ioan 15, 1-8: « Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum ».

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ego sum vitis vera ...

151. Ioan 15, 9-17: « Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis ».

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Sicut dilexit me Pater ...

152. Ioan 17, 20-26: « Volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum ».

In illo tempore: [Sublevatis Iesus oculis in cælum, oravit dicens: Pater sancte,] non pro eis rogo tantum ...

II. Altera ratio tradendi primæ professionis insignia

153. Si vero religiosæ nuper professæ complures sunt, aliave iusta de causa, Celebrans tradit professionis insignia formulam recitans semel pro omnibus:

Accípite, fíliæ caríssimæ,
velámen et Régulam,
vestræ professiónis insígnia:
súbditæ Christo Dómino estóte
ac tota vita exhibéte,
quod sédulæ didicístis.

Professæ omnes simul respondent:

Amen.

Et accedunt ad Celebrantem qui, adiuvantibus Antistita et novitiarum Magistra, eas velamine cooperit ac Regulam tradit.

Quibus receptis, redeunt ad locum suum.

154. Interea schola intonat antiphonam:

Quæsívi quem díligit ánima mea

cum Psalmo 44 vel alium congruentem psalmum; in fine psalmi non dicitur Glória Patri sed antiphona. Si contingit autem ut insignium traditio compleatur antequam psalmus integer decantatus sit, psalmus interrumpitur et repetitur antiphona.

155. Si autem, secundum leges vel consuetudines familiæ religiosæ alia professionis insignia tradenda sunt, hic tradantur silentio vel apta formula. In hac tamen re, decora sobrietas servanda est.

III. Oratio universalis seu fidelium ad libitum adhibenda

Monitio

156. a) In Missa primæ professionis:

Celebrántes, fratres dilectíssimi,
paschále Christi mystérium
et istárum sorórum professiónis religiósæ primórdia,
ad Deum Patrem omnipoténtem
per Iesum Christum, evangélicæ vitæ auctórem,
commúnes dirigámus preces.

b) In Missa qua vota renovantur:

Recordántes, fratres dilectíssimi, Christi verba:
« Sine me nihil potéstis fácere »,
per ipsum exorémus misericordiárum Patrem
pro géntium salúte,
pro témporum tranquillitáte,
pro his soróribus nostris,
quæ religiónis vota hódie renovárunt.

Intentiones

157. I. a) Pro Ecclésia sancta Dei:
ut filiórum suórum decoráta virtútibus

Christo Sponso
fulgídior in dies eníteat,
Dóminum exorémus.

b) Pro Summo Pontífice ceterísque Epíscopis:
ut Spíritus Sanctus, qui replévit Apóstolos,
in eórum successóres
incessabíliter défluat,
Dóminum exorémus.

c) Pro univérsis Ecclésiæ adminístris:
ut sérmone et opéribus
in salútem ducant pópulum sibi commíssum,
Dóminum exorémus.

II. a) Pro mundi pace et salúte:
ut religiósi omnes
Christi pacis præcónes sint atque minístri,
Dóminum exorémus.

b) Pro universárum géntium bono:
ut omnes divíno servítio addícti
cæléstia sectántes
hóminum proféctum
indesinénter fóveant,
Dóminum exorémus.

c) Pro cunctis Christi fidélibus:
ut arcánam Dei vocem
ad sanctitátem omnes invitántem
áuribus inténtis percípiant,
Dóminum exorémus.

III. a) Pro univérsis religiósis:
ut spirituáles Deo ófferant hóstias,
cordis et labiórum cántico,

mentis manuúmque labóribus,
terréstris vitæ cruciátibus,
Dóminum exorémus.

b) Pro iis qui evangélica sectántur consília:
ut mútuæ dilectiónis præcéptum
in ipsis præfúlgeat
et sicut prístinis Iesu discípulis
eis cor unum sit et ánima una,
Dóminum exorémus.

c) Pro ómnibus in religióne Deo sacrátis:
ut vitam Ecclésiæ partícipent
eiúsque incépta et propósita
pro víribus fóveant,
Dóminum exorémus.

d) Pro univérsis religiósis:
ut sicut quisque vocátus erit
Ecclésiæ sanctitátem adáugeat
et regnum Dei stúdeat propagáre,
Dóminum exóremus.

IV. a) Pro his soróribus nostris,
quæ hódie professióne religiósa
se Deo impénsius devovérunt:
ut eis assíduæ oratiónis,
álacris pæniténtiæ,
fervéntis apostolátus
amórem benígnus infúndat,
Dóminum exorémus.

b) Pro iis quæ hódie divíno servítio
árctius mancipántur:
ut spíritum fratérnæ dilectiónis
et strénuæ erga omnes caritátis
in ipsis fovére dignétur,
Dóminum exorémus.

c) Pro his soróribus nostris,
quæ hódie se Christo Dómino devovérunt:
ut, vírgines prudéntes imitátæ,
amóris et fídei lámpades
diligénter alant,
Dóminum exorémus.

d) Pro his religiosis,
quæ hódie sanctum firmárunt propósitum:
ut Sponsum vigilántes exspéctent
et cum eo ad cæléstes núptias
mereántur admítti,
Dóminum exorémus.

e) Pro iis quæ hódie evangélica consília profiténtur:
ut religiósa consecrátio
illam adáugeat sanctitátem
ad quam eas baptísmum vocávit,
Dóminum exorémus.

f) Pro nobis ómnibus:
ut divíni Magístri verba « Estóte perfécti »
fidéliter amplecténtes,
dignos sanctificatiónis fructus exhibeámus
et mensúram plenitúdinis Christi tandem assecúti,
in cæléstem Ierúsalem congregémur,
Dóminum exorémus.

Precationis conclusio

158. a) In Missa primæ professionis:

Tuére, Dómine, família tuam
et propitiátus concéde
quod pro his soróribus nostris,

primítias suæ donatiónis tibi offeréntibus,
concórdi exorávimus prece.
Per Christum Dóminum nostrum.

b) In Missa qua vota renovantur:

Veritátis auctor et misericórdiæ Deus,
supplicatiónes pópuli tui benígnus exáudi,
et, intercedénte beáta Vírgine María, Dei Genetríce,
his fámulis tuis
perseverántiæ virtútem infúnde,
ut vota, quæ te donánte renovárunt,
te prosequénte constánter adímpleant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:
Amen.

IV. Altera sollemnis Prex benedictionis seu consecrationis professarum

159. Dómine Deus, mundi creátor hominúmque Pater,
láudibus gratibúsque te venerámur,
quod de Abrahæ stirpe pópulum elegísti
ac, tuo nómine decorátum, tibi sacrásti.
Quem, cum in desérto peragráret,
voce tua confortásti et déxtera protexísti;
cum pauper et despéctus esset,
amóris fœdere tibi sociásti;
cum a tua dilectióne aberráret,
ad iustítiæ sémitas mísericors reduxísti;
cum autem te inquíreret,
patérna prævenísti caritáte
donec libertátis regiónem incóleret.
In primis vero, Pater, benedícimus tibi,
quia per Iesum Christum, Fílium tuum ac Fratrem nostrum,
voluísti nos ad veritátis agnitiónem veníre.

Ille, ex beatíssima Vírgine natus,
pópulum tuum a peccáto moriéndo redémit
et de futúra glória resurgéndo commónuit.
Cum autem ad tuam déxteram consedísset,
sanctum emísit Paráclitum
qui discípulos vocáret innúmeros,
ut, Evangélii sectántes consília,
Nóminis tui glóriæ hominúmque salúti
totam vitam sacrárent.
Sed hódie domum tuam decet novo cántico resonáre
pro his soróribus nostris,
quæ vocem attendéntes tuam
divíno se obtulérunt servítio.
Emítte, ergo, Dómine, Sancti Spíritus donum
super has fámulas tuas,
quæ propter te ómnia reliquérunt.
Fúlgeat in eis, Pater, vultus Christi tui
ut omnes, eas adspiciéntes,
Ipsum Ecclésiæ tuæ adésse cognóscant.
Fac, quǽsumus, ut cor líberum custodiéntes,
fratrum curas suscípiant;
ut subveniéntes adflíctis,
Christum patiéntem refíciant;
ut humána spectántes,
ea séntiant divína providéntia gubernári.
Vitæ suæ dono advéntum Regni festínent,
donec Sanctis tuis
in cælésti pátria méreant sociári.
Per Christum Dóminum nostrum.

V. Altera Benedictionis formula in fine Missæ professionis perpetuæ

160. Celebrans:

Omnípotens Pater concédat vos
constántes esse in fide,
símplices in malo,
sapiéntes in bono.

Omnes:

Amen.

Dóminus Iesus, cuius vestígia sequímini,
tríbuat vos mortis et resurrectiónis suæ mystérium
in vestra carne renováre.

Omnes:

Amen.

Sancti Spíritus ignis
corda vestra ab omni labe puríficet
et divíno inflámmet amóre.

Omnes:

Amen.

RITUS PROMISSIONIS

NORMÆ GENERALES

1. Quibusdam Religionibus opportunum videtur novitios, exacto novitiatus canonici anno, vota temporaria non emittere, sed sive per aliquot annos sive usque ad tempus professionis perpetuæ, Instituto tantum devinciri peculiari promissione vel aliis ligaminibus temporariis.[1]

2. Quamquam promissio aut alia temporaria ligamina, sua ipsorum natura, a votis religiosis differunt, tamen ad tria consilia evangelica referuntur et quodammodo professionem præparant.[2] Quare valde præstat ut hæc fiant ferventi comitante oratione; immo pia Mater Ecclesia sinere non dubitat promissionem emitti in congrua actione liturgica veluti in celebratione verbi Dei vel divini Officii, Laudum et Vesperarum præsertim, aut, si adiuncta expostulant, in ipso Sacrificio eucharistico.

3. In disponendo promissionis ritu, maxima adhibeatur cura, ut eius peculiaris indoles servetur neque ei inserantur quæ professionis religiosæ sunt. Itaque in formulis componendis, in lectionibus deligendis, in signis liturgicis statuendis vitentur ea quæ vi iuris aut ex antiquo more ad professionis religiosæ ritum pertinent.

4. Promissionis emissio actus est communitati præsertim servatus; nam promissio eo in primis spectat ut candidatus diutius vitam religiosam experiatur et Instituto probetur. Ideoque ritus congrua sobrietate est persolvendus.

[1] Cf. S. Congr. pro Religiosis et Institutis saecularibus, Instructio *Renovationis causam,* 6 ianuarii 1969, nn. 2, 7, 34.

[2] Cf. Ibid. nn. 7 et 35.

I

RITUS PROMISSIONIS IN SACRA VERBI DEI CELEBRATIONE PERAGENDUS

Promissio, ut est eius natura, congrue peragitur in apta verbi Dei celebratione, quæ vitam religiosam et indolem Instituti illustret.

Ritus initiales

5. Ritus opportune incipit salutatione Superioris vel cantu psalmi aliusve apti hymni.

6. Deinde Superior his vel similibus verbis ex novitiis quærit velintne vitam religiosam amplius experiri, Regulam et Constitutiones Instituti fideliter servantes:

Vultis sincéro corde et inténto ánimo
vitam religiósam ámplius experíri,
per evangélica consília Christum sectántes
et nostræ famíliæ Régulam fidéliter custodiéntes?

Novitii omnes simul respondent:

Volo.

Superior:

Miséricors Deus, grátia sua,
voluntátem confírmet vestram.

Omnes:

Amen.

7. Si placet, omissa interrogatione, postulatio fieri potest hoc modo: unus ex novitiis, pro omnibus, ad Superiorem conversus, dicit hæc vel similia verba:

Anno probatiónis exácto,
conversatiónem vestram diútius experíri cúpimus,
quo maturióre iudício
professiónem religiósam valeámus emíttere.

Ideo a vobis pétimus
ut vestra accipiámur família,
in qua Christum sequémur
evangélica servántes consília
et huius famíliæ N. Régulam fidéliter custodiéntes.

Superior respondet hoc vel simili modo:

Misericors Deus vestra perfíciat propósita
nobísque concédat fratérnam vobis præstáre opem.

Omnes:

Amen.

8. Expleta interrogatione vel postulatione, Superior ad Deum Patrem hanc vel similem dirigit orationem:

Orémus.

Et, pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc:

Réspice, quǽsumus, Dómine,
super hanc famíliam N., tuo Nómine congregátam,
et concéde his fámulis tuis (N. N.),
qui vitam religiósam
impénsius experíri exóptant,
ut voluntátem tuam sincéra mente exquírant
et perseveránti ánimo váleant adimplére.
Per Christum.

Omnes:

Amen.

Sacra verbi Dei celebratio

9. Tum leguntur Sacrarum Scripturarum apti textus cum congruis cantibus e Psalterio præsertim delectis. Sumi possunt etiam aliæ aptæ lectiones vel ex Ecclesiæ aut Instituti documentis vel e Sanctis Patribus necnon ex probatis Auctoribus. Lectio autem Evangelii principem locum semper obtineat.

10. Deinde Superior fratrum cœtum et novitios alloquitur de vitæ religiosæ natura atque Instituti indole vel aptum Regulæ capitulum legit.

Promissionis emissio

11. Quibus expletis, novitii singuli accedunt ad Superiorem et coram ipso, testibus, communitate legunt promissionis formulam. Si autem novitii complures sunt, promissionis formula ab omnibus simul recitari potest, a singulis vero concludenda est verbis, quæ singulorum voluntatem aperte declarent.

Conclusio ritus

12. Ritus laudabiliter concluditur oratione universali seu fidelium (ad quam monitio et intentiones, aptatis aptandis, sumi possunt ex iis quæ in parte I, nn. 140-141 et in parte II, nn. 156-157 proponuntur) et oratione dominica, cui adici potest apta prex, ex. gr.:

Deus, qui in Fílio tuo
nobis fontem et exémplar tradidísti
vitæ tibi et frátribus perfécte dicátæ,
præsta, quǽsumus, ut hi fámuli (N. N.)
divínis mandátis constánter obœ́diant
et, intercedénte beáta semper Vírgine María,
quod hódie álacres promíttunt
firma voluntáte quandóque devóveant.
Per Christum.

Omnes:

Amen.

13. Postea Superior, pro opportunitate, religiosos nuper promissione obstrictos et omnes fratres benedicit et fraterne salutat, secundum familiæ religiosæ consuetudinem. Interea canitur aptus hymnus vel canticum laudis.

II

RITUS PROMISSIONIS CELEBRATIONI DIVINI OFFICII CONIUNCTUS

Divini Officii celebratio, Laudum et Vesperarum præsertim, in qua Dominus noster Iesus Christus una cum Sponsa Ecclesia cælestem Patrem exorat et pro totius mundi salute interpellat, aptum quoque tempus est ad promissionem rite emittendam.

Ritus initiales

14. Hora divini Officii incipit more consueto. Expleta psalmodia, Superior his vel similibus verbis ex novitiis quærit velintne vitam religiosam amplius experiri, Regulam et Constitutiones Instituti fideliter servantes:

Vultis sincéro corde et inténto ánimo
vitam religiósam ámplius experíri,
per evangélica consília Christum sectántes
et nostræ famíliæ Régulam fidéliter custodiéntes?

Novitii omnes simul respondent:

Volo.

Superior:

Mísericors Deus, grátia sua,
voluntátem confírmet vestram.

Omnes:

Amen.

15. Si placet, omissa interrogatione, postulatio fieri potest hoc modo: unus ex novitiis, pro omnibus, ad Superiorem conversus, dicit hæc vel similia verba:

Anno probatiónis exácto,
conversatiónem vestram diútius experíri cúpimus,
quo maturióre iudício
professiónem religiósam valeámus emíttere.
Ideo a vobis pétimus

ut vestra accipiámur família,
in qua Christum sequémur
evangélica servántes consília
et huius Institúti Régulam fidéliter custodiéntes.

Superior respondet hoc vel simili modo:

Miséricors Deus vestra perfíciat propósita
nobísque concédat fratérnam vobis præstáre opem.

Omnes:

Amen.

16. Expleta interrogatione vel postulatione, Superior ad Deum Patrem hanc vel similem orationem dirigit:

Orémus.

Et, pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc:

Réspice, quǽsumus, Dómine,
super hanc famíliam N., tuo Nómine congregátam,
et concéde his fámulis tuis (N. N.),
qui vitam religiósam
impénsius experíri exóptant,
ut voluntátem tuam sincéra mente exquírant
et perseveránti ánimo váleant adimplére.
Per Christum.

Omnes:

Amen.

Lectio verbi Dei

17. Tum, loco lectionis brevis, legitur Sacrarum Scripturarum aptus textus, cui adici potest responsorium lectionem illustrans vel saltem indoli celebrationis respondens, ex. gr.:

℟. Audi consílium, * et súscipe disciplínam. Audi.
℣. Serva mandáta mea et vives. Audi.
Glória Patri. Audi.

Vel:

℟. In mandátis tuis exercébor, * et considerábo vias tuas. In mandátis.

℣. Lucérna pédibus meis verbum tuum. In mandátis.
Glória Patri. In mandátis.

18. Deinde Superior fratrum cœtum et novitios alloquitur de vitæ religiosæ natura atque Instituti indole vel aptum Regulæ capitulum legit.

Promissionis emissio

19. Quibus expletis, novitii singuli accedunt ad Superiorem et coram ipso, testibus, communitate legunt promissionis formulam. Si autem novitii complures sunt, promissionis formula ab omnibus simul recitari potest, a singulis vero concludenda est verbis, quæ singulorum voluntatem aperte declarent.

Conclusio ritus

20. Tum in Laudibus canitur canticum Zachariæ; in Vesperis canticum beatæ Mariæ Virginis, cum suis antiphonis.

21. Cantico expleto, Superior dicit:

Dóminus vobíscum.

Omnes:

Et cum spíritu tuo.

Et dicuntur aptæ preces, quarum hic proponitur exemplar; in iis ad singulas invocationes vel repetitur responsio invariabilis, quæ proponitur in monitione introductoria, vel dictur, tanquam responsio, altera pars invocationis.

Ad Laudes:

Ad Deum Patrem omnipoténtem,
qui Iesum Christum, Fílium suum,
nobis constítuit sanctitátis fontem et exémplar,
súpplices dirigámus preces,
una voce exorántes:
Da nobis, Dómine, Spíritum Sanctum.

Da perfectiónem boni óperis,
— qui dedísti princípium voluntátis.

Dírige, Dómine, ópera et stúdia nostra,
— ut tibi totáliter mancipári mereámur
atque Ecclésiæ servítio impénsius devovéri.

Doce nos apprehéndere disciplínam,
— et Christi vita nobis lex exsístat supréma.

Fac nos iustítiam operári et veritátem loqui,
— ut concórdes in domo tua habitáre possímus.

Ad Vesperas:

Ut supérnam voluntátem
mente cognóscere et ópere exercére valeámus,
fervens ad Dóminum Deum nostrum
vespertína ascéndat orátio,
in qua concórdi voce deprecémur:
Sanctífica servos tuos in veritáte.

Diléctio tua, Dómine, operétur in nobis,
— ut caritáte fraternitátis ínvicem diligámus.

Infúnde nobis Spíritum tui amóris,
— ut efficiámur cor unum et ánima una.

Da nobis, Dómine, auxílium necessárium,
— ut tuæ servitútis offício
digni éffici mereámur.

Duc, Dómine, fratres nostros defúnctos
in lucem, quam inhábitas,
— et eórum glóriæ fac nos consórtes.

22. Deinde clara voce ab omnibus dicitur oratio dominica, cui additur oratio diei, vel, iuxta rubricas, alia apta prex, ex. gr.:

Deus, qui in Fílio tuo
nobis fontem et exémplar tradidísti
vitæ tibi et frátribus perfécte dicátæ,

præsta, quǽsumus, ut hi fámuli (N. N.)
divínis mandátis constánter obœ́diant
et, intercedénte beáta semper Vírgine María,
quod hódie álacres promíttunt
firma voluntáte quandóque devóveant.
Per Christum.

Omnes:

Amen.

23. Postea Superior, pro opportunitate, religiosos nuper promissione obstrictos et omnes fratres benedicit et fraterne salutat, secundum familiæ religiosæ consuetudinem. Interea canitur aptus hymnus vel canticum laudis.

III

RITUS PROMISSIONIS INTRA MISSAM PERAGENDUS

Quamquam in promissione illa abest consecrationis ratio, ob quam sancta Mater Ecclesia professorum oblationem Christi oblationi in Sacrificio eucharistico sociat, tamen, si adiuncta expostulant, promissio intra Missam emitti potest; nam ad futuram professionem se refert eamque quodammodo præparat.

24. Accurate serventur ea quæ nn. 3-4 præscripta sunt, ita ut promissio, ipso ritu, a professione religiosa distingui possit.

25. Dicitur Missa liturgiæ diei respondens vel, iuxta rubricas, Missa votiva de beata Maria Virgine vel de Sanctis, qui in vita religiosa eminuerunt vel de mysterio quod spiritui familiæ religiosæ congruat.

Appellatio vel postulatio

26. Dicto evangelio, si placet aut opportunum videtur, Diaconus vel novitiorum Magister nominatim eos vocat, qui respondent:

Adsum

vel alio modo, secundum consuetudinem familiæ religiosæ vel loci.

27. Deinde Celebrans (Superior) his vel similibus verbis e novitiis quærit velintne vitam religiosam amplius experiri, Regulam et Constitutiones Instituti fideliter servantes:

Vultis sincéro corde et inténto ánimo
vitam religiósam ámplius experíri,
per evangélica consília Christum sectántes
et nostræ famíliæ Régulam fidéliter custodiéntes?

Novitii omnes simul respondent:

Volo.

Celebrans (Superior):

Misericors Deus, grátia sua,
voluntátem confírmet vestram.

Omnes:

Amen.

28. Si placet, omissa interrogatione, postulatio fieri potest hoc modo: unus ex novitiis, pro omnibus, ad Superiorem conversus, dicit hæc vel similia verba:

Nos N. N., cum misericórdia Dei et vestra caritáte,
fratérne vobíscum novitiátus degérimus tempus,
a te, Pater (Frater), humíliter póscimus
ut vitam religiósam ámplius apud vos experiámur.
Sic, Christum per evangélica consília sectántes
et vestræ famíliæ Régulam custodiéntes,
nostrum desidérium explébimus
nos ad professiónem impénsius præparándi
et Dei Ecclesiǽque servítio plénius tradéndi.

Celebrans (Superior) respondet hoc vel simili modo:

Misericors Deus vestra perfíciat propósita
nobísque concédat fratérnam vobis præstáre opem.

Omnes:

Amen.

Homilia seu allocutio

29. Tunc fit homilia seu allocutio, in qua opportune illustrantur cum lectiones biblicæ tum vitæ religiosæ donum ad electorum sanctificationem atque Ecclesiæ totiusque humanæ familiæ bonum.

Divinæ gratiæ expostulatio

30. Deinde Celebrans divinum auxilium exposcit, dicens:

Orémus.

Et, pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc:

Réspice, quǽsumus, Dómine,
super hanc famíliam N., tuo Nómine congregátam,
et concéde his fámulis tuis (N. N.),
qui vitam religiósam
ámplius experíri exóptant,
ut voluntátem tuam sincéra mente exquírant
et perseveránti ánimo váleant adimplére.
Per Christum.

Omnes:

Amen.

Promissionis emissio

31. Oratione expleta, novitii singuli accedunt ad Superiorem et coram ipso, testibus, communitate legunt promissionis formulam. Si autem novitii complures sunt, promissionis formula ab omnibus simul recitari potest, a singulis vero concludenda est verbis, quæ singulorum voluntatem aperte declarent.

Conclusio ritus

32. Ritus apte concluditur recitatione orationis universalis seu fidelium, ad quam, aptatis aptandis, adhiberi potest formula quæ in parte I, nn. 140-142 et in parte II, nn. 156-158 proponitur.

In liturgia eucharistica

33. Dum cantus ad offertorium canitur, nonnulli fratres nuper promissione obstricti ad altare opportune afferunt panem, vinum, aquam pro Sacrificio eucharistico.

34. Dicto Pax Dómini, Celebrans pacem dat. Superior et sodales fraternam dilectionem candidatis nuper promissione obstrictis significant osculo pacis vel alio modo secundum familiæ religosæ consuetudinem.

35. Postquam Celebrans Corpus et Sanguinem Domini sumpsit, fratres nuper promissione obstricti ad altare accedunt communionem recepturi, quæ sub utraque specie eis distribui potest. Post eos, parentes, propinqui, confratres eodem modo Eucharistiam sumere possunt.

IV

DE RENOVATIONE PROMISSIONIS

36. Ad promissionem renovandam adhiberi possunt, aptatis aptandis, eadem schemata proposita. Ritus fiat congrua sobrietate, præsertim si promissio sæpius aut ad breve temporis spatium renovatur.

Renovatio autem promissionis, cum fit propter incertum fluctuantemque animum candidati, opportune privatim peragitur, absque ritu liturgico.

APPENDIX

EXEMPLAR FORMULÆ PROFESSIONIS

Unicuique familiæ religiosæ est facultas componendi formulam professionis, a S. Congregatione de Religiosis et Institutis sæcularibus probandam. Ad utilitatem vero Institutorum religiosorum, hoc exemplar proponitur.

I. Qui vota profitetur:

Ego N. N.
ad Dei honórem,
firma voluntáte impúlsus
intímius Ei me consecrándi
Christúmque préssius tota vita sequéndi,
coram frátribus adstántibus,
in mánibus tuis N. N. *
perpétuam ** castitátem, paupertátem, obœdiéntiam vóveo
secúndum (Régulam et) Constitutiónes N. ***
et huic famíliæ me toto corde trado,
ut Sancti Spíritus grátia,
beáta María Vírgine adiuvánte,
in Dei Ecclesiǽque servítio
perféctam pérsequar caritátem.

II. Qui vota recipit, apto ritus loco (cf. Pars I, n. 70, p. 33; Pars II, n. 77, p. 76), dicere potest:

Et ego
potestáte mihi trádita, nómine Ecclésiæ,
vota a vobis (te) in N. *** emíssa, suscípio,
vosque (teque) Deo instánter comméndo,
ut oblatiónem vestram (tuam),
Sacrifício eucharístico adsociátam,
perfícere valeátis (váleas).

* Dicitur nomen et munus Superioris, qui professionem recipit.
** Vel dicatur tempus ad quod professio extenditur.
*** Dicitur nomen familiæ religiosæ.

MISSA
IN DIE PRIMÆ PROFESSIONIS RELIGIOSÆ

Hæc Missa dici potest, cum vestibus albi coloris, extra dominicas Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, et extra sollemnitates atque ferias IV Cinerum et totius Hebdomadæ sanctæ.

Ant. ad introitum — Ps 39, 8-9

Ecce vénio, Dómine, ut fáciam voluntátem tuam.
Vólui legem tuam in médio cordis mei.

Collecta

Concéde, quǽsumus, Dómine,
his frátribus (soróribus) nostris,
quibus Christum préssius sectándi
propósitum inspirásti,
incépti itíneris felícem éxitum,
ut perféctum devotiónis munus
tibi mereántur offérre.
Per Dóminum nostrum.

Super oblata

Súscipe, Dómine, quǽsumus, oblatiónes et preces,
quas tibi offérimus
celebrántes professiónis religiósæ primórdia;
et præsta ut famulórum tuórum
(famulárum tuárum) primítiæ,
tua fovénte grátia,
in fructus ubérrimos convertántur.
Per Christum.

Præfatio

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.

℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.
Qui de radíce Vírginis flos illibátus egréssus,
mundos corde dixit beátos
suáque conversatióne dócuit castitátis fastígium.
Qui tuis semper beneplácitis optávit hærére,
et usque ad mortem pro nobis factus obœ́diens,
hóstiam se tibi vóluit perféctæ suavitátis offérre.
Qui ómnia propter te relinquéntes in terris
ad servítium tuæ maiestátis dicávit impénsius
et cælórum confirmávit inventúros esse thesáurum.
Et ideo, cum Angelórum atque Sanctórum turba,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth, ...

Ant. ad communionem — Mc 3, 35

Qui fécerit voluntátem Dei,
hic frater meus et soror mea et mater est.

Post communionem

Lætíficent nos, Dómine, sumpta mystéria;
et præsta ut, eórum virtúte, hi fámuli tui (hæ fámulæ tuæ)
inchoáta religiónis múnera fidéliter adímpleant
et líberam tibi exhíbeant servitútem.
Per Christum.

MISSA
IN DIE PROFESSIONIS PERPETUÆ

Hæc Missa dici potest, cum vestibus coloris albi, extra dominicas Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, et extra sollemnitates atque ferias IV Cinerum et totius Hebdomadæ sanctæ.

1

Ant. ad introitum Ps 121, 1-2

Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi:
in domum Dómini íbimus.
Stantes erant pedes nostri in átriis tuis, Ierúsalem.

Collecta

Deus, qui in his fámulis tuis
baptísmatis grátiam
tanta voluísti frondére virtúte
ut Fílii tui vestígia préssius sequi conténderent,
concéde ut ipsi,
evangélicam perfectiónem iúgiter spectántes,
Ecclésiæ sanctitátem adáugeant
eiúsque apostólicum confírment vigórem.
Per Dóminum.

Super oblata

Servórum tuórum (Servárum tuárum), Dómine,
múnera et vota benígnus assúme,
et evangélica profiténtes consília
tua caritáte confirma.
Per Christum.

Dicitur Præfatio propria, p. 112.

In Precibus eucharisticis, professorum oblatio commemoratur secundum formulas quæ p. 119 inveniuntur.

Ant. ad communionem Gal 2, 19-20

Christo confíxus sum cruci. Vivo autem, iam non ego:
vivit vero in me Christus.

Post communionem

Divínis mystériis veneránter assúmptis,
te, Dómine, súpplices deprecámur,
ut hos fámulos tuos (has fámulas tuas),
sacra tibi oblatióne devínctos (devínctas),
et Sancti Spíritus igne succéndas
et Fílio tuo perénni iungas consórtio.
Qui tecum.

2

Ant. ad introitum Ps 65, 13-14

Introíbo in domum tuam in holocáustis,
reddam tibi vota mea,
quæ distinxérunt lábia mea.

Collecta

Dómine, sancte Pater,
servórum tuórum (servárum tuárum) N. et N.
propósitum confírma benígnus;
et fac ut baptísmatis grátia,
quam novis cúpiunt néxibus roborári,
plenum in eis sumat efféctum:
quo tuæ Maiestáti débitum cultum retríbuant
et Christi regnum apostólico dilátent ardóre.
Per Dóminum nostrum.

Super oblata

Oblatiónes famulórum tuórum (famulárum tuárum),
Dómine, cleménter assúme
eásque in sacraméntum redemptiónis convérte;

et quos (quas) ad Fílium tuum préssius imitándum
patérna voluísti dispensatióne vocáre
Sancti Spíritus reple munéribus.
Per Christum.

Dicitur Præfatio propria, p. 112.

In Præcibus eucharisticis, professorum oblatio commemoratur secundum formulas quæ p. 119 inveniuntur.

Ant. ad communionem Ps 33, 9

Gustáte et vidéte, quóniam suávis est Dóminus;
beátus vir, qui sperat in eo.

Post communionem

Lætíficet nos, Dómine,
confirmáti propósiti hodiérna sollémnitas
ac divíni sacraménti veneránda percéptio;
et concéde propítius,
ut geminátum devotiónis munus
famulórum tuórum (famulárum tuárum) péctora
in Ecclésiæ hominúmque servítium
veheménti caritáte compéllat.
Per Christum.

MISSA
IN DIE RENOVATIONIS VOTORUM

Hæc Missa dici potest, cum vestibus coloris albi, omnibus diebus, præter dominicas, sollemnitates, festa, necnon ferias Adventus a die 17 ad diem 24 decembris inclusive, IV Cinerum, Quadragesimæ totiusque Hebdomadæ sanctæ.

Antiphona ad introitum et antiphona ad communionem sumuntur, pro opportunitate, ab una e tribus Missis præcedentibus.

Collecta

Deus, rerum ordinátor hominúmque rector,
réspice super hos fílios tuos (has fílias tuas),
qui (quæ) oblatiónem sui cúpiunt confirmáre;
et præsta ut, in dies, Ecclésiæ mystério
árctius coniungántur
et humánæ famíliæ bono
devoveántur impénsius.
Per Dóminum nostrum.

Super oblata

Pópuli tui, quǽsumus, Dómine,
múnera propítius intuére,
quæ hi fratres nostri (hæ soróres nostræ)
castitátis, paupertátis, obœdiéntiæ
renováta augent oblatióne;
et temporália dona
in sacraméntum æternitátis convérte,
offeréntium mentes
ad Fílii tui confórma imáginem.
Per Christum.

Dicitur Præfatio propria, p. 112.

Post communionem

Sumptis, Dómine, cæléstibus sacraméntis,
súpplices te rogámus,
ut hi fámuli tui (hæ fámulæ tuæ)
qui (quæ), supérna grátia tantum confísi (confísæ)
árdua renovárunt propósita,
Christi virtúte roboréntur
et Sancti Spíritus muniántur præsídio.
Per Christum.

PROFESSORUM OBLATIONIS MEMORIA IN MISSA PROFESSIONIS PERPETUÆ

I. Pro viris

In Precibus eucharisticis professorum oblatio secundum has formulas opportune commemoratur:

a) in Prece eucharistica I dicitur « Hanc ígitur » proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et famulórum tuórum,
quam tibi in die eórum professiónis offérimus,
quǽsumus, Dómine,
placátus áccipe et propitiátus sanctífica;
ut qui, te largiénte,
hódie vitam suam tibi dicárunt,
in Fílii tui glorióso advéntu
ætérnæ Paschæ gáudio
mereántur admítti.
(Per Christum Dóminum nostrum).

b) in intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba « ... univérso clero » additur:

Recordáre quoque, Dómine, istórum fratrum,
qui hódie se tibi dicárunt perpétuo servítio,
et concéde ut ad te semper corda mentésque érigant
Noménque tuum gloríficent.

c) in intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba « ... pópulo acquisitiónis tuæ » additur:

Confortáre quoque in sancto propósito dignéris
hos fámulos tuos,
qui hódie sacris religiónis vínculis
perpétuo tibi se devinxérunt,
et fac ut in Ecclésia tua
novam et ætérnam vitam maniféstent
Christi redemptióne comparátam.

d) intercessionibus Precis eucharisticæ IV, mentio professorum inseri potest hoc modo:

... sed et totíus cleri,
et istórum fratrum, qui professióne perpétua
hódie tibi árctius consecrántur,
et offeréntium,
et circum astántium ...

II. Pro mulieribus

In Precibus eucharisticis professarum oblatio secundum has formulas opportune commemoratur:

a) in Prece eucharistica I dicitur « Hanc ígitur » proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et famulárum tuárum,
quam tibi die eárum consecratiónis offérimus,
quǽsumus, Dómine,
placátus áccipe et propitiátus sanctífica;
ut quæ, te largiénte,
árctius se hódie Fílio tuo sociárunt,
eídem in fine témporum glorióse adveniénti
iucundánter occúrrant.
(Per Christum Dóminum nostrum).

b) in intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba « ... univérso clero » additur:

Recordáre quoque, Dómine, istárum sorórum,
quæ ómnia propter te reliquérunt
ut te in ómnibus invenírent
et, sui oblítæ, cunctórum prospícerent necessitátibus.

c) in intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba « ...pópulo acquisitiónis tuæ » additur:

Confortáre quoque, Dómine,
in sancto propósito dignéris
has fámulas tuas,

quæ pia devotióne Christum tuum student sectári,
evangélicæ vitæ atque fratérnæ dilectiónis
testimónium præbéntes.

d) intercessionibus Precis eucharisticæ IV, mentio professarum inseri potest hoc modo:

... sed et totíus cleri
et istárum sorórum,
quæ sacro religiónis pígnore
hódie tibi perpétuo se consecrárunt,
et offeréntium,
et circum astántium, ...

INDEX

ORDO PROFESSIONIS

RITUS PROMISSIONIS

APPENDIX